

COMMENT. IN LAMENT. IEREM.

interrogando interrogabit, nimirum augures & diuinos. Alij existimant veram huius loci intelligentiam esse: Cuius admissionem putat malum sibi esse omen & augurium. Potest verti: Quo experiendo expertus est vos: siue tentauit vos. Acs̄ dicit: Ideo Scyphū hunc reliquit, vt experiretur, vtrum vos illū essetis surreptuti. Inde nachax, quod significat augurium: vt capite Numerorū. 23. Non est auguriū in Iacob. Et quia in ære perpolito solebat fieri auguria, inde effectum est, vt נָהָשׁ significet æs: quo nomine cōpedes appellantur, quòd ex ære cōfici solerent. In quam significationē accipitur hoc loco: vt sit sensus: Facit pedibus meis cōpedes grauissimos, ne aliquò ire possē. Interpres Theodoreti habet: Aggrauauit iugū colli mei. Et interpretatur: Crudehissimis hostibus me seruire coēgit.

Ose. 4. ¶ Semitas mea subuertit. Pro subuertit est in Hebræo verbum סִיר sur, quod significat subuertere: quam significatione sequutus est Latinus noster interpres. Significat etiam declinare, peruertere, alienare, mutare, deficere, fœtere, putrescere, separare. Eo vtitur pro declinare Oseas capite quarto: Sicut vacca lasciuens declinavit Israel. Subauditur à via recta. Potest verti: Ut iuuenga deficiens descivit Israel, expellendo scilicet à se iugum diuinæ legis. Vel separauit se Israel, nimirum à Deo. Pro separare enim accipitur **Ose. 4.** Oseæ quarto: Separatum est conuiuim eorum. Vbi conuiuim idem est quod cultus & cōmunicatio: loquitur enim diuinus vates de decem tribubus, quæ se à duabus separauerat, & vitulos Ierooboam coluerant. Vel ideo ait Israelitarū conuiuim esse separatū, quia erat excōmunicatū: excōmunicati enim separati sunt.

Potest verti: Fœtidum est conuiuim eorum: vt sit sensus: Tantū vini potauerant conuiuæ, vt eorum compotatio grauiter oleret. Vel per eorum conuiuim intelligit illorum doctrinā, quam appellat putidam & fœtidam, quia docebant esse vitulos aureos colendos. Illud psal. 13. Omnes declinauerunt: vertunt nōnulli: Omnes fœtuerunt. Et alij: Omnes recesserūt, nimirum à via, quam Deus illis ostéderat. Ab hoc verbo est sororim, pro quo vulgatus interpres cap. 1. Esaiæ vertit in fideles: Principes tui infideles. Potest verti: Principes tui declinantes: Vel recedentes, nimirum à vera religione. Vel fœtidī: vel peruersi. Pro quo Septuaginta habent: Non obediunt, siue non obediētes. Et Aquila, discedentes. Et Tharghū: rebelles: quia à Deo defecerant, & falsis dijs diuinum cultum tribuerant. Eodem modo illud intelligitur Oseæ. 9. Omnes principes eorum recedentes. Pro quo alij legēdum putant: Omnes principes eorū subuersi. Vel omnes duces eorū mutati: nimirum à vero Dei cultu. Diximus enim verbū hoc significare subuertere & mutare. Quare locus hic Ieremiæ verti potest: Vias meas mutauit: nimirum à pristina consuetudine. Vel potest esse à שׁ, quod est spina: vt sit sensus: Vias meas spinis sepiuit. Ita hunc locum interpretatur Rabbi Ischac filius Ghiath: iuxta id Ischach quod ait apud Oseam. 2. Deus: Ecce ego Oseæ. 3. sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria. Ut scilicet nō possis egredi, nec quò velis, proficisci.

¶ Confregit ad numerum dentes meos. Pro numero est in Hebræo וְנַ, quod significat calculū, lapidem minutum, & arenam: vt Proverbiorum. 20. Suavis est homini panis mendacij, & postea implebitur

tur os eius calculo. Hoc est, doctrina medax ac falsa, etiam si in principio sit dulcis ac mollis, postea tamen insuavis ac dura inuenitur. Et quia calculis solem⁹ numerare, accipitur hoc nomen pro numero.

Cicero. Vnde apud Ciceronem in libro de amicitia, reuocare ad calculos amicitiam, est ita data & accepta numerare, ut par siteo-

plinius. rum ratio. Et in epistola quadā Plinij, ponere calculos, id est quod numerare. Hac

ratione ductus interpres noster pro chafats, quod calculū propriè significat, numerū hoc Ieremiæ loco interpretatus est.

Septuaginta tñ pro calculo acceperūt: ita enim habent: Εξεβαλεν την φω σολοντας μου. Hoc est, eiecit lapillo dentes meos. Hoc est accepto lapide euulsit mihi dētes, quos ex ore meo in terram proiecit. Potest re-

etissimè verti: Cōfregit instar arenæ dētes meos: ita enim eos minutatim concidit atque contudit, & in tot particulas infregit, ut essent instar arenæ minutti.

Perijt finis meus. Pro fine est in Hebreo nomen hoc ΠΥΞΙ, quod significat finem: quam significationē secutus est vulgatus interpres. Significat etiam victoriā, potentiam, sanguinem, robur, & fortitudinem. Quare rectè verterunt Septua-

Pagnin. victoria mea. Et rectè Pagnin⁹ & Brixian.

Bixian. Benedi. Brixian. Perijt fortitudo mea. Et rectè Io-

annes Benedictus: Perijt robur meū. Po-

test quoque verti: Perijt potētia mea: aut

sanguis meus. Quæ omnia possunt ad

Christū Deum nostrū verissimè referri,

cui omnia hæc conueniunt, cuius morte in crucis ara contumelijs plenissimā Ie-

remias hoc loco lamentatur. Ipse enim

est finis, ad quem dirigendæ sunt omnes

actiones nostræ, propter quem diuinā le-

gem sumus seruaturi, & ipsius legis con-

summatio & perfectio: id quod ait apostolus capite. 10. epist. ad Romanos: Finis le-

gis Christus est ad iustitiam omni credé-

ti. Ipse est victoria nostra, qui de se ait a-

pus Ioan. 16. Confidite, ego vici mundū. Ioan. 16

Quam ob rem ait apostolus cap. 15. prioris ad Corinthios: Deo autem gratias,

qui dedit nobis victoriam per dominum nostrum Iesum Christum. Ipse est potē-

tia nostra: de quo ait apostolus capite. 4. Philip. 4

epistolæ ad Philippenses: Omnia possum in eo, qui me confortat. Ipse est sanguis

noster & caro nostra, quatenus homo est, nostram enim assumpit naturā: de quo

ait diuus Ioānes capite sui euangelij pri-

mo: Et verbum caro factum est. Ipse est fortitudo nostra: de quo ait Moses capite Exodi. 15. Fortitudo mea & laus mea do-

minus. Et David psalmo. 30. Quoniam Psal. 30.

fortitudo mea & refugium meum es tu.

Deriuatur nomen hoc à verbo ΠΥΞΙ nat-

sach, quod significat roborare & vincere.

Vnde lánatseach multis præfigitur psalmis: Pro quo Septuaginta vertunt: ΕΙΣ ΤΟ

ΤΕΛΟΣ: hoc est in finem, quemadmodum

habet editio vulgata. Hieronymus ver-

tit: Victor. Felix Pratensis: Vincenti. A-

quila τω ρικοπιοω, id est præbenti victo-

Aquila. riam. Alij, fundenti sanguinē. Alij danti

æternitatem. Quæ omnia Christo Deo

nostro mirabiliter congruunt, cui psalmi

huius inscriptiones dedicantur. Quidam

existimant, ideo præfigi psalmis, In finē,

quia erat implendi téporib⁹ Mesiæ, quæ

appellantur nouissima & fines seculorū.

Leauuit se super se. Pro leuare est in He-

breo verbum ΛΥΞΙ, natal, quod significat leuare, ferre, baiulare, inuoluere. Parti-

cula, se, non est in Hebreo, nec in Greco.

Potest verti: Quia tulit super se. Subaudi-

iugū Dei. Pót hoc intelligi de Christo dño,

Oo qui

COMMENT. IN LAMENT. IEREM.

qui tulit super se crucē: de quo paulō pōst dicitur: Dabit percutienti se maxillā, saturabitur opprobrijs. Omnia hæc verba explanat de Christo Rabbi Samuel in huius loci expositione. De percussione Mich.5. autē maxillæ Christi dixit ita Michæas.5.

In virga percutient maxillam iudicis Israēl. Ipse est, qui crucem baiulauit tanquā clauem, qua cœlū aperiret, de qua dixit

Esaï.22. Deus pater apud Esaiam.22. Dabo clavē domus Dauid super humerū eius. Itaque verbū hoc natal significat portare & baiulare. Inde netil idē est quod baiulus: quo vocabulo in plurali vtitur cap.1. Sophonias, pro quo editio vulgata habet, inuoluti. Disperierunt oēs inuoluti argento. Quod pōt etiam verti: Disperierunt oēs baiuli argenti. Acsī dicat: Peribunt oēs diuites auari. Est enim præteritū pro futu-

ro. Quemadmodū baiuli arculas alienas do. ferūt argento plenas, nihil inde nisi labore pondusq; reportātes, præter vilissimā paruissimāq; mercedē: sic qui auaritia & effrenata opum cupiditate ardent, nihil ex diuitijs quas possident, aut potius à quibus possidentur, habent, nisi laborem & solitudinem, & flagitium. Nullum est enim officium tam sanctum & laudabile, quod non auaritia comminuere atque violare soleat.

Leuemus corda nostra cum manibus ad dominum. Pro, cum manibus, est in Hebræo כְּפָנֵי אל el cappaijm . Nomen caph significat volam, & manū: vt capite Ezechielis.21. Percute manū ad manū. Hoc est, mōrorem & dolorem ostende. Significat etiam nubē. Vnde illud Exodi 33. Ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec transeā. vertunt nonnulli: Et protegam nube mea. Eam ob causam potest verti locus hic

Ieremiæ: Leuemus corda nostra versus nubes ad dominum. Ita Rabbi Dauid R.david Chimhi in libro radicum hunc locum interpretatur. Vnde illud Esaïe.49. Ecce Esaï.49. in manibus meis descripsi te: potest verti: Ecce in nubibus meis posui te. Hoc est, te extuli in sublime, in excelsa quæ dignitate collocaui. Ita Rabbi Ioseph, Ioseph. & R. Sahadias locum illum explanarūt. Sahadi. Ionathas tamen Chaldaeus nobiscū ver- Ionath. Alep. Bet. Dale. Gimel. He. Vau. Zain. Cheth. Aleph. &

& dilatare. Potest verti: Ne auertas aurē tuam à suspīcijs & clamoribus meis. Vel sic: Ne auertas aurē tuam à clamorib⁹ meis propter respirationem meam. Ac si dicat: Audi me domine, vt possim respire. Tātō enim dolore premebatur mœstus Ieremias, vt respirare non posset, ne anhelare quidem.

¶ Caput quartum. ¶

Aleph. **Q**uomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omniū platearū?

Beth. Filij Sion incliti, et amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasatesta, opus manuum figuli?

Gimel. Sed et lami nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos: filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.

Daleth. Adhæsit lingua lacteis ad palatū eius in siti: paruuli petierunt panem, et non erat, qui frangeret eis.

He. Qui vescebantur voluptuosè, interierunt invijs: qui nutriebantur in croceis, ampliati sunt stercore.

Vau. Et maior effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorū, quæ subuersa est in momento, et non ceperunt in ea manus.

Zain. Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores late, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.

Cheth. Denigrata est super carbones facies eorū, et non sunt cogniti in plateis: adhæsit cutis eorum ossibus, aruit, et facta est quasi lignum.

¶ Explanatio. ¶

Aleph. **Q**uomodo obscuratum est aurum? Totus hic versus sub litera Aleph, potest de euersione tēpli intelli- gi in illa Babylonica va- stitate. Erat enim templū auro rectum, vt

cap. 6. lib. 3. Régum diuinæ literæ prodicuntur. Sed Ieremias, vt ego mihi statuo, præcipue deplorat amissam gloriā Hierosolymæ: ac si dicat: Quonodo versus est in ignominiam gloria nostra? Tenebras dedecoris attulerūt Babylonij splendido auro honoris nostri, cuius fulgentissimus color fuit in nigrorem mutatus. Quām citò Hierosolymæ splendor, eiusq; nominis claritas & amplitudo ad opprobriū & abiectionē reciderūt! Accipitur hoc loco aurum pro mūdi gloria, opibus, & magnificientia, vt cap. 2. Danielis, cùm dicitur caput statuæ à Nabuchodonosore cōspe- Et ex auro fuisset. Pro charitate sumitur capite Apocal. 3. Suadeo tibi emere à me autum ignitū. Sumitur etiam aurum pro oleo cap. 4. Zachariæ: Quid sunt duæ spīcæ oliuarū, quæ sunt iuxta duo rostra aurea, in quibus sunt suffusoria ex auto. Pro quo nōnulli vertūt: Quæ sunt iuxta duo rostra aurea, quæ suffundunt ex se aurum. Vbi aurum aiunt pro oleo purissimo sumi instar auri. Cūm aut oleo significetur misericordia, apertèliquet ipsam misericordiam auro significari. Sumitur præterea pro sapientia capite Canticorum. 5. Cant. 5. Caput eius aurum optimū. Demum sumitur pro humilitate rerūque humanarū tolerantia. Ut enim illud est cæteris mettallis grauius, & percussum non reddit sonum: sic vir animi humilitate & patiētia septus, seipsum præ cæteris deprimit & abiicit, & ad humilia munera inclinat: ac calamitate percussus nullos fundit iracūdias clamores. Percipit enim animo id, quod ait diuinus ac regius vates: Patiētia Psal. 9. pauperum, siue afflitorū, non peribit in finem. Et filius eius in proverbijs. Gloriā Prov. 19. præcedet humilitas. Hæc est vna virtus, quæ cūm se occultet, eminet tñ inter oēs.

COMMENT. IN LAMENT. IEREM.

Similitu **40.** **Vt** calx viua videtur frigida foris , cùm intus ferueat: sic verè humilis cooperit virtutes suas,cùm flagret intus igne charitatis , & aqua calamitatis incendatur. Calx viua feruet cù aqua frigida,& humilitas cum charitate & toleratia coniuncta aqua calamitatis inflamatur. Omnes hæ auri significationes possunt huic Ieremiæ loco conuenire:obscurata est enim Iudeorū charitas & misericordia & animi humilitas,& patiētia. Vel quod mihi rectius videtur, per aurum cæteris metallis præstantius intelligitur princeps, qui fuit in bello illo captus,& à dignitate sua deiecit.

¶ Dispensi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum. Ide est eversum est templum domini, eiusq; lapides fuerunt per plateas dispersi atque dissipati. Ita huc locum paraphrastes Chaldaeus interpretatur. Sed quæadmodum paulò antè nomine auri intellexit principé, ita modò per lapides sanctuarij sacerdotes, & viros pios, qui alios religionis cultu superabant. Hi enim fuerūt è templo expulsi, & per capita platearū disiecti, & ad diuersas oras abdueti. Fortasse deplorat sacerdotū distractiōnē, qui cùm deberent in templo residere, ac diuino cultui operā dare, per plateas Hierosolymæ negotijs humanis dediti vagabatur. Quam ob causam fuerūt obsessi, & victi, & cruciati. Platea enī est latitudo, qua significatur lata illa & spatiosa via, quæ, vt Christus Deus noster ait apud

Matt.7. Matthæum.7.dicit ad perditionem.

¶ Filij Sion incliti, & amicti auro primo. Hoc est magnates Hierosolymæ ornati quondam auro optimo abiecti sunt modò, & veluti vasa figuli habitu ac ducti. Sumuntur vas siue lagena figuli pro re fragili, nulliusq; momenti, vt cap.30. Esaiæ: Cominuetur, sicut conteritur lagena figuli

cōtritioē perualida. Et Iere.19. Sic cōterā **Iere.19.** populū istū, & ciuitatē istā, sicut cōteritur vas figuli, quod non pōt vlt̄a instaurari. **¶ Sed & lamia nudauerunt mammam.** Séfus est: Etiā impiæ ferē alunt catulos suos, exponentes illis vbera sugenda, Hierosolyma autem filios suos non alit. Exaggerat calamitatē Iudææ comparatione ferrariū, quæ lactant filios suos, quod Hierosolyma non faciebat. Aiunt nōnulli hoc impletū fuisse, cùm matres fame coactæ proprios filios coxerūt. Lamiae figuram quandam habent humanā, cùm sint bestiæ crudelissimæ. Struthiones sunt aues miræ magnitudinis, sed minimè volantes, quibus heretici, & nefarij homines artificio simulatiōis eruditī, vt Hesychius ait, Hesych. & Eucherius, significatur. Habere nāque Eucher. videtur sapiētia & contéplationis pénas, volare aut̄ haudquaquam possunt. Eam ob causam sunt in lege veteri prohibitæ cap.11. Leuitici, & 14. Deuteronomij. Hę aues crudeles sunt: quare cum illis cōparat Iob homines imanes, cùm ait cap.30. Iob.30. Frater fui draconū, & socius struthionū. Solet hoc animal in solitudine oua sua relinquare, & aliquando non curare: atque filiorū suorum obliuisci. Id significat Iob cap.39.vbi de illo loquens: **Quando,** inquit, derelinquit oua sua in terra, tu forsitan in puluere calefacies ea: obliuiscitur, quod pes cōculcet ea, aut bestia agri cōterat. Induratur ad filios suos, quasi nō sint sui. Hæc ille. Eam ob causam ei hoc loco Hierosolyma comparatur. Fortasse non propter crudelitatem affectus, sed propter similitudinē aëtus: quia mulieres Hierosolymitanæ lac filijs proprijs ob inopiam detrimenti non præbebant.

¶ Adhesit lingua lactentis. Ostendit sitim ac famem puerorum, quos cap.3. harum sup+

lamen-

Iamētationū induxit matribus suis dīcentes: Vbi est triticum & vinum? ¶ Qui vescerātur voluptuose. Qui exquisitī epulis quondā vtebantur, perierunt fame in locis publicis. Et qui solent delicatē nutriti, & purpura, vestibusq; pretiosis indui, viles cibos uide sumebant. Nā Job.6. vt Iob ait capite.6. Animæ esurienti etiā amara dulcia esse videntur.

¶ Maior effecta est iniquitas filiæ populi mei. Grauius fuit peccatū Hierosolymæ, quā Sodomæ: nam Sodoma non cōtaminauerat Dei sacrariū, quod non habuerat: nec habebat diuinos vates, qui eam à flagitijs deterrenerent, quemadmodū Hierosolyma. Præterea Sodoma violauerat legem naturalē, Hierosolyma aut̄ naturalē & scriptam: & ingratia animi significationē multis in rebus ostenderat. His Ezech.16. rationibus ductus ait Ezech.16. Non fecit Sodoma soror tua ipsa, & filiæ eius, sicut fecisti tu: & filiæ tuæ. Et Christus Deus noster apud Matt.11. Terræ Sodomorū remissius erit in die iudicij, quam tibi. Vel sumitur hic iniquitas pro pœna iniquitatis, quemadmodū peccatū pro pœna peccati: vt cap.12.lib.2. Regū, vbi Nathan dixit Dauidi: Dominus transtulit peccatū tuum, idest, pœnā peccati in filium tuū: non enim morieris, sed ille. Et Thren.5 Threnorū.5. Patres nostri peccauerunt, & nō sunt: & nos iniquitates eorū portauimus. Ita explanat nōnulli illud Cain Gen.4. nēsis.4. Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear. Ut sit sensus: Maior est pœna mea, quam ferre possim. Ideo Ieremias ait Hebræos fuisse punitos graui Sodomis, quia Sodomorū pœna minore tempore duravit, quamobrē fuit minus acerba, quoniam non fuerunt longa obsidione afflicti & lacerati, sed in puncto té-

poris consumpti. Ideo ait: Et non ceperūt Gene.19. in ea manus. Hoc est, non ceperunt Esai.12. So- 1ere.50. domam inimicorum manus. Sumūtū manus pro supplicijs humanis: vel pro castris & exercitibus, quēadmodum cap. 33. Deuteronomij: Manus eius pugnabūt De u.33 pro eo. Et Act.apost.12. Misit rex Hero- Aa.12. des manus, vt affligeret quosdā de ecclēsia. Eam ob causam vertunt nonnulli locum hunc: Et non metacta sunt in ea castra. Quia in momento subuersa est.

¶ Candidiores Nazarei eius niue. Loquitur de Nazaræorū fame luctu & calamitate in illa vrbis obsidione & pernicie. Hi erāt Deo dedicati: de quorū consecratio- ne loquitur Moses cap.Numer.6. Nunc Num.6. autem Ieremias hyperbolice eorū describit pulchritudinē & candorem ante obsi- dionem illā, vt post eam eorum ostendar & deploret deformitatē, maculas & luctus. Ebure est dens elephanti: sapphirus est la- pis pretiosus coloris aërij, aureis punctis collucens: de quo differit Plinius libro.37. Plini:

¶ Denigrata est super carbones facies eorum. Præ fame & miseria & luctu. Locutio est hyperbolica. Nigore faciei significatur dolor & tristitia. Ita cap.2. Nahum: Facies Nah.2. omnium eorū sicut nigredo ollæ. Et Ioe- Ioe.2. lis.2. Omnes vultus redigentur in ollam.

¶ Et non sunt cogniti in plateis. Hoc est, non sunt à plebeijs & abiectis hominibus distincti. At si virtute prædicti erāt, in illa calamitate & abiectione erāt nobiles: eorū aut̄ inimici honestate destituti in triūpho illo erāt infames. Quēadmodū generos Similitud. equi etiā si ei ponatur clitella ad sarcinas ferēdas, semper tñ generos est, cōtra verò vilis cāterius etiā pretiosis phaleris orna- tūtus est canterius: sic vir omni sapientia & nobilitate præstans quāuis abiectus, sem- per tñ est nobilis & illustris, improbus aut̄

COMMENT. IN LAMENT. IEREM.

In simo loco natus quāuis ad eximia euentus dignitatē semper tñ est sordidus & obscetus, nulla cōmendatione fama & prēclarus. Falsus honor non euehit ad verum honorē: & calamitas nullum eximiū virum pietate & sapientia prēstante potest vera dignitatē priuare. Nam vt diuus ait Hieron. Hieronym⁹ in epistola ad Celantiā: Sola apud Deū libertas est nō seruire peccatis, summa nobilitas clarum esse virtutibus.

Iob. 7. **A**ruit. Seilicet ob calamitatem & nūtrimenti inopiam. Eodem modo Iob. 7. Cutis mea aruit, & contracta est.

Teth. **M**elius fuit occisis gladio, quām interfec̄tis fame: quoniam isti exstabuerant consumpti à sterilitate terra.

Iod. **M**anus mulierum misericordium coxerūt filios suos, facti sunt cibus earum in contritione filiæ populi mei.

Caph. **C**opleuit dñs furorē suū, effudit iram indignationis sue: si cendit ignem in Sion, et deuorauit fundamenta eius.

Lamed. **N**on crediderūt reges terra, et coniuersi habitatores orbis, quoniam ingredere tur hostis et inimicus per portas Ierusalem.

Micm. **P**ropter peccata prophetarum eius, et iniquitates sacerdotū eius, qui effuderūt in medio eius sanguinem iustorum.

Nun. **E**rrauerūt ceci in plateis, polluti sit sanguine: cuq; nō posset irare, tenuerūt lacrimas suas.

Sam. **E**ccl. **R**ecedit polluti, et nauerūt eis, recedite: abi te: nolite tangere: turbati quippe sunt, et commoti: dixerunt inter gentes: Non adcedent ultra, ut habiter in eis.

V **M**elius fuit occisis gladio. Hoc est, minus ærum nosi fuerūt illi, quos hostiū gladius vita priuauit, quām quī fame interierūt: quoniam hilēta tabe, & morte diurna de vita decesserunt, illi autē subito animam efflarūt. Nam vt Ecclesiasticus ait cap. 34. Melior est mors, quām vita amara.

Manus mulierum misericordium. Exaggerat famis vim, qua ita obsessi labrabāt, vt etiā mulieres, quae sunt naturaliter misericordes, filios proprios comedērēt. Vis famis intimum naturalēque amore superauit. Id suprà tetigit capite. 2. **S**up. 2.

In cōtritione filiæ populi mei. Id est, in obſidione & calamitate Hierosolymæ.

Compleuit dominus furorē suum. Hoc est, summum ac miserrimū lumpsit Deus de nobis supplicium. Ostendit debitam diuinæ iustitiae in Hebreos leueritatem.

Succendit ignem in Sion. Sensus est: totā Hierosolymā Deus igne combusit: nec solūm tecta, sed aedificiorum fundamēta euertit, & cremauit. Vel per ignē intelligit vehementē famem, & acerbā calamitatē. Sumi autē ignē pro afflictione & cruciatu indicat loc' ille Dauidis psal. 16. Igne me examinasti, & non est inuēta in me iniquitas. Et illud Ezech: 30. Dabo ignem in Taphnis. Et paulò pōst: Cūm dedero ignē in Ægypto. Et illud Amos primo: Mittam ignem in domum Asahel.

Non crediderunt reges terre. Nullus unquam rex, imò nullus homo cuiuscunq; fuerit nationis, credit futurū Hierosolymę exitiū. Existimabāt enim eam esse & muris, & Dei prēsidio munitā. Vello loquitur de rege & magnatib⁹ Hierosolymæ, eiusq; habitatorib⁹, qui Ieremīe eam esse capiēdā à Babylonij dicēti nullā fidē tribuebat. Iā hostes ingrediebātur portas ciuitatis, & illi dubitabāt: iuxta illud Esai. 30. Subito dū non speratur, venit cōtritio ei⁹.

Propter peccata prophetarū eius, et iniquitates sacerdotū eius. Ostēdit prēcipuā causam euerionis Hierosolymę fuisse scelerata falsorum prophetarū, & sacerdotū: qui cūm deberent illā iustē & sapiēter gubernare, eam vitiorū suorum exēplo deputarunt,

Exod
Gen. 3
Gen. 4
Luc. 3

Simili
do.

uarunt, & ad exitium & vastitatem vocauerunt. Principū & pontificū maleficia populum corrūpunt, & euertūt. Id quod nō solūm literæ testātur diuinæ & humanæ, sed etiā vita cōmunis, quæ nobis huius dirē pēstis exēpla, pp̄e quotidiana suppeditat. In Hispania videmus Christi fidē vigere, quia eius reges sunt catholici: in Britania verò infiniti prop̄e fidē repudiarūt, & ab ecclesia catholica descivierūt, quia ei⁹ rex fidei nuntiū remisit, sc̄q; turpi dedecore maculauit: & mod̄o eius regina hæreticis sauet, quos deberet multare, & à regno deiijcere, ne sermonib⁹ impuris & morib⁹ deprauatis tetrā maculā cæteris inurerēt. Gen. 45. Dum in Ægypto regni clauū tenuit rex, qui nouerat Iosephū, iusti viri ex remotis oris magnis inuitabātur promissis: at cū regnauit alius, qui non nouerat Iosephū, fuerūt afflīcti, & laborib⁹ incredibilib⁹ la- Exod. 1. cerati. Iosephus vēditus & in carcerē con- Gen. 37. iectus inter duos vincētos, quorū alter fuit Gen. 40. dānat⁹, alter absolutus, Christū Deū no- Luc. 2. strum pro nobis venditū inter duos latro- nes constitutū adumbrabat: quorū alter perijt, alter est vitam sempiternā cōsecutus. Nihil hodie magis principes incitat Similitudo. advitia, quā ignoratio Iosephi cœlestis. Si enim Christū summè diligérēt, & in ani- mo versarent, & eius beneficia cognosce- rent, ad multō maiorē dignitatē & nomi- nis amplitudinē eorū regna perduceren- tur. Florerent eorū curiæ viris sapientia, nobilitate, virtute, armorū exercitatione præstantibus. At, vt aiunt, quemadmodū in mare flumina influunt: sic in nōnullorum principum aulas vitia prorūpunt.

Errauerunt ceci in plateis. Illi quos falsi prophetæ & impij sacerdotes & magna- tes percutiebāt, quos oculis priuabāt, va- cillabant in plateis proprio sanguine cō-

taminati. Qui cūm nō possent domus suas introire per seipso, ducorū fimbrias tenebāt. Quidā vertunt: Polluti sunt san- guine: præ abominatione nemo poterat contingere lacinias siue vestes eorum.

Recedite polluti. Verba sunt eorum, qui percussis insultabāt, dicētes: Recedite à no- bis vos ô polluti, abite, nolite nos iāgere.

Iurgati quippe sunt, & cōmori. Sensus est, impij Iudei qui se diuinos vates vocabāt, & flagitosi sacerdotes quod cedib⁹ & ho- micidijs forū Hierosolymæ impleuissēt, fuerūt obiurgati à babylonij cū eis iurgio contēdētib⁹, eosq; mouētib⁹ & cruciātib⁹.

Dixerunt inter gentes. Dicebant Baby- lonij inter seipso: Non addet Deus vlt̄rā, vt inter hos impios & calamitosos Iude- os habitet, vt solebat: quia iam eos penit⁹ dereliquit. Idem de seipso aiebat David psal. 70. Quia dixerūt inimici mei mihi, Psal. 70. & qui custodiebāt animā meā, consiliū fe- cerunt in vnū. Dicentes: Deus dereliquit eum: persequimini, & cōprehendite eū, quia non est, qui eripiat.

Facies domini diuisit eos: nō addet, vt ref- piciat eos: facies sacerdotum non erubue- runt, nec senum miserti sunt.

Cūm adhuc subsisteremus, defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanū: cūm respiceremus attēti ad gentem, quæ salua- renos non poterat.

Lubricauerunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarū: appropinquauit finis noster: completi sunt dies nostri, quia ve- nit finis noster.

Velociores fuerunt persecutores nostri aqui- lis cœli, super montes persecuti sunt nos: in deserto insidiati sunt nobis.

Spiritus oris nostri Christus dñs captus est in peccatis nostris: cui diximus: in cum- bra tua vivemus in gentibus.

COMMENT. IN LAMENT. IEREM.

- Xiiii.** *Gaudet letare filia Edom, quia habitas in terra Hus: ad te quoque perueniet calix: inebriaberis, atque nudaberis.*
- Tau.** *Completa est iniquitas tua filia Sion: non addet ultra, ut transmigret te: visuavit iniquitatem tuam filia Edom, discooperiet peccata tua.*
- B** *Facies domini diuisit eos. Verba sunt Babyloniorum Iudeis insultantium: quorum hic est sensus: Deus dispersit Iudeos inter gentes, eosq; à facie sua in diuersas terrarū oras diuisit, quos nunquā deinceps respiciet. Ita dictum est psal. 54. Cōram inauerū testamentū eius, diuisi sunt ab ira vult' eius. Poteris hæc Ieremiæ verba ita vertere: Ira Dei separauit eos. Sumi autē faciem Dei pro ita indicat locus ille Genes. Gene. 4 & 16. 4. Egressus est Cain à facie domini. Et. 16. A facie Sarai dominat me& ego fugio. Et Esai. 37. Esaiæ. 37. Ne timeas à facie verborū, que Psal. 50. audisti. Et psalmi. 50. Auerte faciem tuā à peccatis meis. Sed facies Dei sumitur aliquando pro Christo vero Dei filio, vt Psal. 79. psalmo. 79. Deus virtutum cōverte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus. Quem locum non solum Christiani, sed nonnulli etiam ex Iudeis de Christo interpretantur. Hoc asserunt Rabbi Salomon, & Rabbi Moses Hardasan, qui in Hardas. caput Genesis. 22. Veniemus, inquit, ad faciem eius, qui est rex Messias, quem admodum dictū est in psalmo: Deus virtutum converte nos, & ostende faciem Psal. 16. tuam, & salui erimus. Et psalmo. 16. ait David: Ego autem in iustitia tua apparebo conspectui tuo: satiabor, cūm apparuerit gloria tua. Vel vt potest etiam verti: Ego autem videbo faciem tuam, satiabor, cūm resurrexit figura tua. Ac si dicat: Ego autē videbo Christū filium tuū, & summa afficiar gloria, cū resurrexit*

ipse Christus, qui est figura substatiæ tūc. De illo enī ait apostol⁹ cap. 1, epist. ad Hebræos: Qui cūm sit splendor gloriæ, & figura substatiæ eius. Ipse autē Deus pater ait apud Malachiā. 3. Ecce ego mittā angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & statim veniet ad templū sanctū suum dominator, quem vos quæritis. Hic angelus est Ioānes Baptista, quē pater cœlestis misit antē filium suū Christum Deum nostrum, qui facies Dei appellatur, & dominator, qui ad templum suum venit. Intelligi autē locum illum de Baptista Christi præcursori indicat ipse Christus apud Matt. 11. Et Marc. 1. Quare hoc Ieremiæ loco poteris per faciem domini Christum intelligere, qui Iudeos in varias nationes separauit. Actūc sunt verba Ieremiæ non solum de euersione Hierosolymæ per Babylonios loquentis, sed etiā de ei⁹ euersione per Romanos duce Tito Vespasiano vaticinantis.

¶ *Facies sacerdotum non erubuerunt, nec secundum miserti sunt. Reddit Ieremias rationem, quare Iudei fuerūt in diuersas oras dispersi: quia nec facies sacerdotum fuerant venerati, nec senibus misericordiam tribuerat. Id prædixerat his verbis Esai. 3. Esai. 4. Tumultuabitur puer cōtra senem, & ignobilis contra nobilem.*

¶ *Cūm adhuc subsisteremus. Cūm adhuc retineremus libertatē, priusquam expugnati essemus, expectabam⁹ ab Ægyptijs auxilium. At illuderat vanum & inutile, quandoquidē seruare nos non valebant. Deplorat Ieremias Iudeorū cæcitatem, qui Deo contépto & relicto, qui eō poterat eripere, ad homines configerant, qui eis opem ferre non poterant. Idem prædixerat his verbis cap. 30. Esaias: Ægypt⁹ frustra & vanè auxiliabitur. Et. 31. Vx qui Esai. 30. Esai. 31. Hab. descen-*

descendunt in Aegyptum ad auxiliū, in Equis sperantes, & habentes fiduciā super quadrigis.etc: Et dominum non requisi-
serunt. Non reprehendit diuinus vates quærere ab alijs auxilium, quando opus est, sed spem à Deo abducere, & in hu-
mano præsidio figere ac locare.

Lubricauerunt vestigia nostra in itine-
re platearum nostrarum. Hoc est, præ lassi-
tudine & imbecillitate nō valebamus fir-
miter stare. Labebamur, ac si viæ nostræ
essent præcipites, & periculosæ, & tene-
bris circumfusæ. Hoc erat peccati nostri
signum & supplicium. De illo ait idem
Ieremias capite.33. Idcirco via illorū erit
quasi lubricum in tenebris: impellentur
Psal.34. enim, & corruent in ea. Et David psal.34.
Fiant viæ illorum tenebrae & lubricum.
Prou.4. Et Prouerb.4. Via impiorum tenebrosa,
nesciunt, ubi corruant.

Appropinquauit finis noster. Hoc est in-
Ezech.7 teritus noster. Ita Ezechiel septimo: Fi-
nis venit, venit finis.

Velociores fuerūt persecutores nostri aqui-
lis cæli. Babyloniorum expeditionem in
bello, & diligentiam hyperbolicè signi-
ficat, qui se in Iudeam celeriter contul-
runt, & Hierosolymam expugnarunt.
Cumque rex Sedechias cum familiari-
bus suis exiret ex vrbe, sequæ fugæ man-
daret, per montes transiens & solitudines
non potuit eos declinare, quin esset ab il-
lis comprehensus, & oculis priuatus: vt
Ier.52. Ieremias ultimo capite enarravit. Ad hāc
historiam videtur hoc loco præcipue al-
ludere. Volens Oseas cap.8. hanc Hiero-
solymæ vastitatē prædicere: Quasi aquila,
inquit, contra domum domini. Sub-
auditur veniet hostis. Quando aliquid
fit celeriter, cum aquila volante compa-
Hab.3. ratur. Ita cap.1. Habacuc: Volabunt sicut

aquila festinans ad comedendū. Et cap.1.
lib.2. Regum: Aquilis velociores, leoni-
bus fortiores. Et quarto Ieremias: Velo-
ciores aquilis equi illius. Apud Pindarū Pindar.
legimus aquilam esse voluctum reginā,
veluti delphinum piscium, admirabilēq;
esse utriusque velocitatem. Et Aristophan.
nes: Oraculum, inquit, accepérūt Athe-
nienses fore, vt tanto vrbes reliquas post
se interuallo relinquenter, quanto aquila
reliquas aues celeritate superat. Qua-
re pro homine diligente, & ingenij per-
spicacitate præstante solet sumi aliquan-
do, qui munus cui præficitur, solerter, ac-
curatè & diligenter exequitur. Ut in con-
flictibus illis & concursibus, quos Lusita-
ni iustas vocant, quilibet decertans vnicā
fert hastam, non duas, ac multò minus
tres: nam vna conducit ad contentionē,
multæ verò illā impediunt: sic qui mu-
nere uno in republica fungitur, potest il-
lud rectè, accuratè, sapienterque explere:
at si multis publicis ac diuersis officijs
præesse voluerit, nullum ex illis exequi-
tur præclarè, etiamsi cum aquila ingenij
acumine cōparetur. Eodem modo scrip-
tor vnicō calamo poterit literas pulchrè
exarare, multis autem simul apprehensis
totam scripturam mendis & turpibus li-
turis replebit. Quare nō sunt cōmnia rei-
publicæ munera & officia vni soli defe-
renda, sed inter multos diuidenda, & cū
viris aptis dignisque cōmunicanda. Ac
ita quilibet illorū diligenter munus suum
conficiens, poterit cum aquila compara-
ri. Et quia aquila cùm pullos suos ex loco
ad locum mutat, eos non pedibus instar
aliarum auium, sed super dorsum aspor-
tat, ne possint lædi sagittis, ideo ferre ali-
quem super alas aquilarum, est illum so-
licitè ac diligenter seruare, & ita ducere,

COMMENT. IN LAMENT. IEREM.

ut nullo periculo opprimatur. Id voluit De significare, cum dixit Hebreis Exod. 19. di. 19. Vos ipsi vidistis, quomodo portavimus uerum vos super alas aquilarum. Aquila sumitur aliquando pro Deo, ut cap. 32. Deut. 32. Deuteronomij: Sicut aquila prouocas ad quoniam volandum pillos, & super eos volitás expandit alas suas, assumpit eum; atq; portauit in humeris suis: dominus solus dux eius fuit. Ac de Dei ascensu in cœlū intelligit Eucherius propter biorū illud cap. Prou. 30. Tria sunt difficultia mihi, & quartū penitus ignoro: viam aquilæ in cœlum. etc. Sumitur pro quo cunque viro sapiētia & Esai. 40. pietate præstati, ut apud Esaiam. 40. Assūment pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficiant. Et apud Matthæum. 24. Vbi cūq; fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Hoc est, ubi fuerit Christus, illic erunt viri iusti & excelsi congregati. Ita Chrys. Ioannes Chrysostomus, Euthymius, & Euthy. Theophylactus locum illum interpretātur. At Clemens Alexandrinus, Stromat. Leuit. 11. tum quinto ait, per aquilam cap. 11. Leuitici prohibita intelligi rapinam. Et quoniam aquila ad prædam atque rapinam velociter cōcitat, & volat, ideo pro velocitate in malam partem aliquando, ut hoc loco usurpatur.

Spiritus oris nostri Christus dominus captus est in peccatis nostris. Quidam referunt hoc ad Iosiam regem, qui vulneratus est ab Aegyptijs, & ex illo vulnera postea mortuus est, ut literæ diuinæ cap. 24. lib. 4. Regum testantur. Rex enim vngi solebat oleo: quare Christus, hoc est vñctus dicebatur, ut constat ex cap. 24. & 26. lib. 1. & 26. Regum. Sed hoc nō potest defendi: nam Iosias non est captus ab Aegyptijs, sed vulneratus in prælio, ex quo euasit, & postea

domi suæ clausit diem suum: ut scriptura testatur. Ea ratione ducti alij, hoc referunt ad regem Sedechiam, qui fuit à Babylonij captus in solitudine Iericho, & ad regem Babylonium ductus, ut cap. 25. lib. 4. Regum, & Ierem. 52. scriptū legimus. At ne hoc sustineri potest: nam Ieremias in hac lamentatione loquitur de ipso ac sancto rege, quem appellat spiritum oris hominum, cuius umbra viri pietate præcellentes proteguntur: at Sedechias erat improbus, & maleficijs alebatur, & ipsum Ieremiam grauiter & iniuste afflixerat, & vulnerauerat, ut ex libro Regum, & ex ipso Ieremia constat apertissimè. Profectò locus hic intelligitur de Christo seruatore nostro, & ita illum explanant Theodoretus hoc in loco, Thed. Augustinus libro de ciuitate Dei. 18. ca- pite. 33. Eusebius Cæsariensis lib. 4. de demonstratione euangelica, Cyprianus in Cyprus symbolum apostolorum, Origenes ho- milia octaua in librum Iosue, & libro. 2. Periarchon cap. 6. & homilia. 3. in Cantica canticorū, Bernardus in sermone pri- mo de aduentu, & tertio de ascensione, & in nativitate Mariæ de aquæ ductu, Dionysius Carthusianus in Threnos, Petr. Galatinus lib. 8. arcanorum cap. 10. & alij magni nominis authores. Imò ut ego mihi statuo, de solo Christo hic locus intelligitur: nam ubi nos habemus: Christus dominus, in Hebreo est, Mesiach Iehouah, hoc est, Mexias Deus: est enī perspicuum, hoc nomen, Iehouah, soli Deo conuenire. Quare illud est certissimum, Christum hunc esse verum Deum. Iudicū verò hac ratione conuicti multa hoc loco miscent, tenebrasque offundunt, ne de Christo dño nostro explanetur. Quem- admodū sepia videns se peti, atrum san- guinena

guinem siue fel effundit in aquam, vt ea obscuret, quod possit manus effugere pescatorum: sic illi vt possint euadere aperi-
tissimas nostras ac firmissimas rationes, omnia volunt tetra caligine cooperire. Aiūtenim nomen Iehouah hoc loco non esse in nominatio, sed in genitio: quod est aperte falsum, nam septuaginta interpretes natione Hebræi utraque lingua & Hebreæ & Græca eruditæ, sapientia pre-cellentes, & virtute præstantes in nominatio transtulerunt, dicentes: *χριστός καὶ κυριός*, hoc est Christus dominus. Si autem ex Hebræo ad verbum transferamus, vertemus: Mexias Deus, vel Christus Deus.

R. Sam. Et ita vertit R. Samuel in libro de adu-
tu Mexiae cap. 7. Idem enim est Christus apud Græcos, quod Mexias apud Hebræos. Habemus hī locum apertissimum in vetere testamento de Christi redemp-
toris nostri apprehensione, quādo in hor-
to fuit propter scelera nostra ligatus, &
vincitus. Nec audiendisunt, qui illum ali-
ter interpretātur. Deplorans diuinus va-
tes Ieremias his lamentationibus euer-
sionem Hierosolymæ per Babylonios,
vidit mētis oculis diuinolumine illustra-
tis evectionem futuram per Romanos
tempore Titi Vespasiani, & perpetuam
Iudæorum calamitatē & miseriā, cu-
jus causa fuit nefarium eorum scelus in
Christi morte, & intolerabilis obstinatio
& perfidia. Ac raptus spiritu hās voces
emisit: Spiritus oris nostri Christus do-
minus captus est in peccatis nostris. Vo-
cat eum spiritum oris sui, quia prophetæ
spiritu Dei loquebantur. Vel quia ipse est
respiratio oris nostri, quoniam in ipso vi-
tiimus, spiritum ducimus, & respiramus.
Nam vt verbis utrū diui Pauli apostoli

Aet. 17. cap. 17. Actorum: Ipse dat omnibus vitā,

& inspirationē, & omnia. Et paulò post:
In ipso, inquit, vivimus, mouemur, & su-
mus. De illo dictum est Genesis secūdo: Genes. 2.
Formauit Deus hominem de limo terræ,
& inspirauit in faciem eius spiraculum
vitæ. Fuit Christus captus, qui nos vene-
rat liberatum, fuit vincitus, qui nos vene-
rat solutū. Id prædixerat ille psalmo. 21. Psal. 21.
Circundederunt me canes multi, consi-
lium malignantium obsedit me. Et apud
Ieremiam cap. 12. Dedi animam meam
dilectam in manu inimicorum. Fuit igit-
tur Christus captus & vincitus, & à disci-
pulis fugientibus relictus. Dixerat enim
Deus pater apud Zach. 13. Percutiā pa-
storem, & dispergetur oves. Tunc im-
pletum est illud psalmi. 31. Considerabā
ad dexteram, & videbā, & non fuit, qui
cognosceret me. Impij autem Iudæi eū
falsis criminibus ad cædem vocauerunt
iuxta illud psalmi. 93. Captabunt in ani-
mam iusti, & sanguinem innocentē con-
demnabūt. De illius cruciatibus & mor-
te vaticinatus est ita capite. 53. Esaias: Ve-
rè lāguores nostros ipse tulit, & dolores
nostros ipse portauit. Et nos putauimus
eū quasi leprosum, & à Deo percussū
& humiliatum. Ipse autem vulneratus
est propter infirmitates nostras, attritus
est propter scelera nostra. Disciplina pa-
cis nostræ super eum, & liuore eius san-
ti sumus. Haec tenus ille. In crucis aera se
innocens agnus Christus seruator noster
hostiam constituit, vt sanguine suo pre-
ciosissimo scelera nostra expiaret, gra-
tiamque nobis impertiret. Ut enim aēr similitu-
dem mutatione lumen recipit, & te-
nebras depellit: sic eadem re in animam
nostrā & gratia infunditur, & ex ea pec-
catorum tenebræ expelluntur. Mortuus
est enim, vt nos viuēremus, & cœlestis 4. Re. 13.
Eliseus

COMMENT. IN LAMENT. IEREM.

Eliseus sepultus generi humano mortuo vitam tribuit. Eum adumbrauerat agnus paschalis immolatus, cuius sanguis seruauit Hebreos: eiusque cætera legis sacrificia imaginem gerebant. Sed hoc nō Iudæis, sed Christianis est perspectum & exploratum: elegans enim infans Moses in fiscella positus spiritu legis est, sub cortice literæ contentus: quem filia Pharaonis, hoc est ecclesia ex gentibus aperuit & inuenit. Non potest diuina scriptura intelligi, nisi Christi mors intelligatur: ea enī est clavis Davidis, quæ aperit, & nemoclaudit. Cūm Semeius regem Davidem execraretur, & maledictis vulneraret, dixit David cap. 16. lib. 2. Regum: Dis-mitte eum, ut maledicat iuxta præceptū domini, si fortè respiciat dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac. In antiquis exemplaribus aiunt fuisse: Si fortè respiciat dominus afflictionem suam. Ita illud afferit Petrus Galatinus lib. 1. de arcana catholice veritatis, Victoria in prima parte ad Raimū. uersus Iudæos, & Raimundus in Pugione. Omnes hi aiunt scribas locum hunc cum nonnullis alijs mutasse, ut ex priscis Hebræorum traditionibus constare videtur. Cūm enim non intelligerent fore, ut Deus pateretur, verba illa Davidis: Si Deus respiciat afflictionem suam, in ipsis Davidis afflictionem commutarūt. At verus Deus Christus redemptor noster afflēt' pro nobis fuit & crucifixus: ubi coelestis ille pelicanus sanguinem suū fudit, ut nos aleret ad æternitatem. Ipse enim ait psalmo. 101. Similis factus sum pelicano solitudinis. Ipse ait apud Ioan- Ioa. 10. nem. 10. Animam meam pono pro oib- Rom. 5. bus meis. De illo ait apostolus ad Roni. 5. Christus cūm adhuc infirmi essemus, sc-

cundum tempus pro impijs mortuus est. Secundum tempus ait, quia præfinito à patre tempore crucem subiit. Vcl ad tē-
pus scilicet triduum. Et in priore ad Co-
rinthios. 15. Christus mortuus est pro pec-
catis nostris secundum scripturas. Et hoc
loco ait Ieremias: Christus dominus ca-
ptus est in peccatis nostris. Hoc est pro-
pter peccata nostra fuit comprehensus &
ligatus à cohorte & ministris pontificum
& phariseorū, vt Ioannes, & cæteri euau-
gelistæ testantur.
¶ In umbra tua. Hoc est sub refugio tuo.
In gentibus, id est inter gentes te Christe
sancte recipientes, in te credentes, no-
menque tuum sanctum celebrantes. In
ecclesia enim Christiani omnes tam ex
Iudæis quam ex gentibus congregātur.
Viuere seu sedere in aliquius umbra est
sub eius fauore quiescere. Ita Cāticorū. 2. Cant. Sub umbra eius quem desiderauerā, sedi.
Diuis Ambrosius in psalmū. 36. per um-
bram hoc loco crucis umbram intelli-
git, umbrā passionis Christi, cuius mors
vita est. Itaque locum hunc ad Christum
refert pro nobis immolatū, in cuius um-
bram cum animi securitate & tranquillita-
te vitam degimus. Quemadmodum cō-
ferentes se ad umbram fraxini illic sunt
à serpentibus tuti, quoniam eam non ar-
tingunt: sic qui ad fauorem Christi toto
animo confugerint, venena pestilentium
cupiditatum evitabunt. Eam ob causam
dicebat David psal. 16. Sub umbra alarū Psal. 16.
tuarum protege me. Et psal. 56. In umbra Psal. 56.
alarum tuarum sperabo. In hac vita su-
mus in umbra Christi, in altera vero eri-
mus in eius splendore.

¶ Gaude et lētare filia Edom, que habitas
in terra Hus. Imperatiuus est commina-
torius, ut illud Ecclesiastis. 11. Lētare iu-
uenis

Amos. 4 uenis in adolescētia tua. Et illud Amos. 4.
Venite in Bethel, & impiē agite. Et illud
Christi ad Iudam: Quod facis fac citius.
Sensus est: Tuō Idumæa quæ odio pro-
 sequeris Hebræos, nunc audito corū exi-
 tio, insultans illis gaudio afficeris. Sed tu
 quoq; euersa eris & vastata. Ad te veniet
 dolorum & cladum calix, quo inebriaberis,
 & miseria repleberis. Et nudaberis,
 hoc est eris bonis omnib; spoliata & de-
 stituta. Vaticinatur de Idumæorum per-
 nicie nomine calicis significata: quēad-
 lere. 49. modum capite. 49. Ecce quibus non erat
 iudicium, ut biberent calicem, bibentes
 bibēt. Vbi calicem vocat afflictionem &
Mal. 115. mortem. Eodem modo Dauid psal. 115.
 Calicem salutaris accipiā. Et paulò pōst
 explicans quid intelligat per calicē: Pre-
 ciosa, inquit, in conspectu domini mors
 sanctorū eius. Et Christus dominus apud
Matt. 20 Matthæum. 20. Potestis bibere calicem,
 quem ego bibiturus sum? Hic est calix
Gen. 44 Ioseph inuentus in sacco dilecti sui Beni-
 amin. Eos enim Christus solet afflictio-
 nibus afficere, quos admirabili prosequi-
 tur amore. Pro inebriaberis, ac nuda eris:
 vertant quidam: Inebriaberis, & euacua-
 beris, seu euomes. Hoc est, tot tamque
 acerbis molestijs repleberis, ut eas non
 valens sustinere, euomere cogaris. Sep-
 tuaginta habent: Et effundes. Quod in
 idem recedit. Paraphrasis Chaldaica per
 filiam Edom hoc loco intelligit Romā,
 cuius exitium per Gotos ait hoc loco sig-
 nificari.

n ¶ Cōplēta est iniquitas tua filia Sion. Id est
 calamitatibus purgata est iniquitas tua ô
 Hierosolyma. Vel sumitur iniquitas pro
 poena iniquitatis, ut suprā diximus ver-
 ba illa huius capitī explanantes: Maior
Sup. 80. effecta est iniquitas filiæ populi mei. In

diuinis enim literis sāpe peccatum pro
 peccati supplicio accipitur, vt capite. 4. **Gene. 4.**
 Genesis: Nonne si bene egeris, recipies:
 subaudi mercedem: sin autem malè, sta-
 tim in foribus peccatum tuum aderit.
 Hoc est, multa & poena peccati præsto
 est. Et paulò pōst eodem capite: Maior est
 iniquitas mea, quām vt veniam merear.
 Pro quo alij vertendū putant: Maior est
 poena mea, quām vt eam ferre possim.
 Eodem modo sumitur peccatū cap. 12.
lb. 2. Regum, vbi Nathan dixit Daudi: **2. Re. 11.**
 Dominus transtulit peccatum tuum: in
 filium, qui tibi natus est: non enim mo-
 rieris tu, sed ille. Et capite. 5. **Threnorum: Inf. 5.**
 Patres nostri peccauerunt, & non sunt: &
 nos iniquitates eorum portauimus. Un-
 de Paul; in epistola ad Rom. 8. Et de pec-
 caro damnavit peccatum. Hoc est, Deus
 pater damnavit mūdi peccatū per Chri-
 stum immolatum pro peccato. Eodem
 modo cap. 5. posterioris ad Corinthios: **2. Cor. 4.**
 Eum qui non nouerat peccatū, pro no-
 bis fecit peccatum.

¶ Non addet rūtrā, ut trāsmigret te. Sub-
 audi pro prēteritis flagitijs: non iterū pro
 ijsdē sceleribus te exilij poena multabit.


¶ Visitabit iniquitatem tuam filia Edom.
 Hoc est, Deus, ô Idumæa, vt seuerus iu-
 dex visitabit scelera tua, aperiet ea, vt ma-
 nifesta sint, quando eorum dederis pœ-
 nas, fuerisque afflita & euersa. Eodem
 modo capite. 49. Ego discooperui Esau, **Iere 49.**
 reuelavi abscondita eius, & celari non
 poterit. Ita clauduntur Ieremiæ lamenta-
 tiones, quas ego breuiter explicaui Ti-

mantem imitatus, qui quod ex-
 primere penicillo non po-
 terat, velo
 contege-
 bat.

¶ Obser-

COMMENT. IN LAMENT. IEREM.

¶ Obseruationes ex Hebræo in quartam lamentationem.



Pagnin.

Vomodo obscuratū est aurum? Ita habet etiā paraphasis Chaldaica. Pagninus verò habet: Quomo^ddo occultatū est aurum! Sed idem est sensus. Ac verbū ☽ quod est in Hebræo utrumque significat. Eo utitur Ezechiel capite. 31. cùm ait: Cedri non occultarūt illum, vel non obsecrunt illum in horto Dei. Pro quo clarius Latinus noster interpres transluit: Cedri non fuerunt altiores illo in paradiſo Dei.

¶ Mutatus est color optimus. Pro colore est in Hebræo: כְּתַם, quod nomen significat aurum, & signum, & notam, & colorem. Quare rectè vertit noster interpres. Et rectè etiam Pagninus, qui habet: Mutauit se aurum optimum.

¶ Lamiae nudauerunt mammam. Pro lamiae, in Hebræo est לִנְיָן tannin, quod Exod. 7. nomen draconem significat: ut Exodi. 7. Proiecerunt virgas suas, quæ versæ sunt in dracones. Hac ratione ducti septuaginta interpres verterūt: Δεακόντες, hoc est Dion. dracones. Chrysostomus Dion in intima Africa feras quasdam esse scribit vulnu muliebri præditas, quæ lamiae vocantur, atque homines pulchritudine sua ad se alliciunt, captosque crudeliter deuorāt. De huiusmodi feris locus hic intelligitur. Sumitur etiam lamia pro benefica, quæ Lusitanæ bruxa vocatur. Sed de la-

mijsdifferit Philostratus in Apollonio, & Philo Cœlius Rhodiginus lib. 16. capite. 4. Cœlius Rubicundiores ebore antiquo. Pro ebore est in Hebræo ☽ quod significat os ossis, ut Genesis. 2. Hoc nunc osex ossibus meis. Et psal. 138. Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto. Hoc est, ne vnum quidē ex ossibus meis latuit, cùm me in ventre matris meę formares. Et quia ebur est os & dens elephanti, vertit noster interpres ebur. Significat etiam speciem. Quare Rabbi Daviduid Chimhi vertendum putat: Rubicundiores specie plusquam margaritæ. Et Pagninus: Rubicundiores fuerūt aspectu quam gemmæ. Nam pro antiquo est in Hebræo פְּנִינִים, quod nomen aiunt lapides pretiosos generaliter significare. Quare noster interpres posuit antiquū, hoc est pretiosum. Alij dicunt, ut Ioānes Reuchlinus refert, præcipue significare coralia: quam ob causam vertunt: Rubicundiores specie plusquam coralia. Est enim coralium rubicundum: & mirum in modum hæc significatio huic loco conuenire videtur. Nascitur in mari Rubro, & in mari Siculo circa Heliam & Drepanum: sed præciosius & præstantius inuenitur in mari Oceano septentrionali iuxta Orchadas insulas. Dum est in mari est corpus quoddam molle, sed extractū ex aquis, teste Theophrasto in tractatione de gemmis, lapidescit. Et quia hoc nomen ☽ significat quoque corpus, vertit Pagninus in Thesauro: Ruberūt corpore præ gemmis.

¶ Iurgati quippe sunt. Verbum Hebraicū est גְּזַחַת, quod significat iurgare, iurgio contendere, litem concitare. Qua ratione ductus Latinus noster interpres vertit: Iurgati quippe sunt. Et septuaginta interpre-

Brixia
Menae
Paghii

Ierc. 4.

Theop.

Deut. 34

Psal. 34

Pagnin
Brixia

terpretes οὐτι αὐτοφθονού, Hoc est, quia succensi sunt. Id est, quoniam ira commoti sunt. Et eodem modo habet trāslatio Chaldaica. Significat etiā inquinare. Eam ob causam Isidorus Brixianus vertit: Inquinati quippe sunt. Et ita habet Rabbi Menachem. Et Pagninus: Quia inquinati erāt. Præterea significat volare & egredi. Ideo potest verti: Quia euolarunt. Siue quia egressi sunt. Hoc verbo vtitur Ieremias cap. 49. vbi Moabitarum euersionē his verbis prædictis: Date florem Moab, quia florens egredietur. Acsī dicat: Dicite esse Moab similem flori, cuius pulchritudo subito marcescit, & celeriter evanescit & consumitur. Pro quo paraphrasis Chaldaica habet: Date alteri coronam Moab, quia egrediens egredietur. Vbi Moab est gignendi casus: vt sit sensus. Regnum Moab dabitur alteri, & ipsi Moabitē egredientur à regia dignitate. Potest recte verti locus ille: Date alam Moab, quia volans volabit. Acsī dicat: Quemadmodū aves habētes integras alas facilē volant: sic Moabitē ocyus quam cogitat, patriam suam amittent, & ab ea volabūt.

Facies domini diuisit eos. Septuaginta interpres habent: προσωποι νοεῖσι μερὶς αὐτῶν. Hoc est, facies domini pars eorum. Hoc est, eos in partes separauit. Quod idē est. Pro facie est in Hebræo 12: à verbo פָנִים, quod significat respicere, & sequi: vt Deut. 31. Quia secutus est Deos alienos. Quod potest verti: Quia respexit ad Deos alienos. Vnde בְּנֵי מִצְרַיִם numero tantum plurali idem est quod facies, sic appellata quod huic atque illuc respiciat. Ac quia ira in facie seu vultu appetet, sumitur pro ira, vt psalmo 34. Vultus domini super facientes mala. Hac ratione dicitur Xantes Pagninus, & Isidorus Brixianus,

& Ioannes Benedictus verterunt: Ira domini diuisit eos. Diuisit autem eos Deus illis iratus, quia ipsi se inter se diuiserunt, & discordiam concitarunt. Sienim amicitia coniuncti essent, permaneret in prospero statu, essentque sine dubio egregia quadam gloria cumulati. Ut enī in corpore ex tēperatione calidi & frigidi, siccii & humidi optima fit cōstitutio: sic in ciuitate ex diuersorum hominum cōcordia admirabilis conflatur firmitudo, rerumque prosperarum abundantia. Id voluit Vespasianus imperator in numo suo significare, vbi sculptæ sunt pulchræ plenæque spicæ ex duabus manibus datis simulque iunctis egredientes: ad designandum ex concordia & fide rerum felicium abundantiam dimanare. Id quod Iulius Cæsar significauerat sculpens in numo quodam suo caduceum vñā cum cornucopia. Est enim perspicuum nomine caducei concordiam, nomine vero cornucopiae rerum prosperarum affluentia significari. Sed turbulentia Iudæorum dissidia eorum quietem dissiparunt, eosq; ex dulci patria eiecerunt.

Lubricauerunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarū. Existimo posuisse Latinum nostrū interpretem lubricauerunt pro insidiati sunt: vt sit sensus: Hostes nostri insidiati sunt vestigijs nostris in medijs plateis nostris: vbi nobis insidias instruxerunt. Pro lubricauerūt est in Hebræo verbum וְלֹא, quod significat insidiari & venari, vt Threnorum 3. Venatione ceperūt me. Et Genesis. 27. Cumq; Gen. 27 venatu aliquid apprehenderis. Hanc significationem secuti sunt Septuaginta, & modò Pagninus. Rabbi Abraham hunc locum ita explanat: Non venerunt nisi ad venandū nos in plateis nostris. Vñ יְלֹא signi-

COMMENT. IN LAMENT. IE REM.

significat venationē, & cibum, & lucrū,
Prou.12. vt capite Proverb.12. Non inueniet frau-
dulentus lucrum. Vel, vt alij vertunt: ve-
nationem, aut escam.

Captus est in peccatis nostris. Septuaginta
interpretes habēt: Captus est εν ταῖς θυ-
ρησις ημῶν. Hoc est in corruptionibus
nostris. Quod in idem recidit cum edi-
tione vulgata, nam peccatum corruptio est:
diaphthora enim corruptionem signifi-
cat & morte: peccatum etiam graue mors
Psal.17. est. Ita accipitur psal.17. Præoccupauerūt
Prou.11. me laquei mortis. Et Proverb.11. Iustitia
Benedi. aut liberabit à morte. Ioá. Benedict⁹ pro,
in peccatis nostris, vertendū putat: in re-
tibus eorū. Nec malè: nam impij Iudæi
volētes Christum ligare, ligati sunt, fue-
rūtq; proprijs retibus illaqueati. De illis
Esaï.8. dixerat cap.8. Esaias: Erit in laqueū & rui-
nam habitatibus Ierusalem. Ac si diceret:
Christus qui pijs Hebræis vitam tribuet
æternā, impios euertet, eo enim illaquea-
Pagnin. buntur, & irretiētur. Pagninus & Brixian.
Brixianus vertunt: Captus est in foueis eorū. Po-
pulus enim Iudaicus foueas Christo fecit,
in quas ipse populus infeliciter incidit.
Psal.7 iuxta illud psal.7. Incidit in foueā, quam
fecit: Conuertetur dolor eius in caput ei⁹,
& in verticē ipsius iniquitas eius descen-
Psal.56. det. Et illud psal.56. Laqueum parauerūt
pedibus meis, & incuruauerunt animam
meā: foderunt ante facié meam foueā, &
inciderunt in eam. Tunc impletū est id,
Psal.17. quod Christus psal.17. prædixerat: Con-
fringā illos, nec poterūt stare, cadent sub-
Psal.26. tus pedes meos. Et psal.26. Qui tribulat
me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ce-
ciderunt. At Christus dñs resurrexit ter-
Matt.28 tia Dei, & obtinuit nomen, vt Paulus ait
Phil.2 ad Philippenses.2. quod est super omne
Marc.16 nomen: & sedet ad dexterā patris rex re-

gum, & dñs dominatiū, vt cap. Apoc.19. Apoc.19
eum vocat diuus Ioánes. Hoc voluit De⁹
pater psal.131. his verbis significare: In- Psal.131.
micos eius induā cōfusionē, super ipsum
autē effloreat sanctificatio mea. Vel, vt
diuus transtulit Hieronymus: Super ipsū Hieron.
aut floreat diadema eius. Ac si dicat: Nū-
quam eius regnū marcescat, sed semper
erit florens & gloriosum, quod æternitas
ipsa intuebitur. Itaq; quanto magis nefarij
Iudei clarissimū Christi lumen volue-
runt extinguerē, tanto gloriosius illud il-
lustrarunt: sibiq; æternā memoriā dede-
coris reliquerūt. Id aliquo modo illis ple-
rūq; accidit, qui viros sapientia & nobili-
tate præstantes abiiciūt, & virtuti ac glo-
riæ inuidētes contendunt florē dignitatis
eorū infringere, nominisq; celebritatem
obscure. Sed quēadmodum nonnullæ Similitudo
herbæ cōculcatæ altius crescunt: sic vera,
clara, & excelsa virtus quāto magis pro-
teritur & abiicitur, tanto alti⁹ ascendit, &
longi⁹ atq; illustrius propagatur. Verum
est enim tritū illud & laudatū proverbiū:
Virescit vulnere virt⁹. Nihil enim magis
cōducit ad eximiæ honestatis gloriā ma-
gnificētius illustrandā, quam calamitas
ipsa. Contrà verò, qui magnorū virorum
nominis claritati tenebras voluerunt of-
fundere, semper in silentio iacuerūt, pro-
priumque nomen turpi dedecore macu-
larunt.


ORATIO IE REM IAE.

CAPVT V.

Recordare domine, quid acciderit nobis: A
intuere, & respice opprobriū nostrum.
Hæreditas nostra versa est ad alienos: domus
nostræ ad extraneos. Pupilli facti sumus absq;
patre, matres nostræ quasi vidue. Aquam
nostram

B nostram pecunia bibimus: ligna nostra pre-
tio comparauimus. Ceruicibus nostris mina-
bamur, lassis non dabatur requies. Aegypto
dedimus manum, et Abysyrijs, ut saturare-
mur pane. Patres nostri peccauerunt, et non
sunt: et nos iniquitates eorum portauimus.
C Serui dominati sunt nostri, non fuit, qui redi-
meret de manu eorum. In animabus nostris
afferebamus panem nobis, à facie gladij in
deserto. Pellis nostra quasi clibanus exusta est
à facie tempestatū famis. Mulieres in Sion
humiliauerūt, et virgines in ciuitatibus Iu-
da. Principes manu suspensi sunt, facies senū
non erubuerunt.

Explanatio.



*Ecorda-
re domi-
nē. Post
quā di-
uin⁹ va-
tes. Ie-
remias
quatuor
superio-
ribus ca-*

*pitib⁹ affectuū plenissimis, deplorauit la-
mentabilibus vocibus miserabilē Hiero-
solymæ calamitatē & euersionem, nunc
se ad suspiria piasq; preces conuertit, tan-
quam ad excellens refugium: quo possit
diuinū numen Hebræorū scelere violatū
placare ac lenire. Ut corpus nisi respireret,
viuere nequit: sic anima afflcta vt mœ-
rore leuetur, suspiria ad Deum cum pre-
cibus copulata effundit. Primò exponit
beat⁹ Ieremias Israelitici populi ærūnas,
deinde diuinam implorat misericordiā.
Ait igitur. Recordare dñe, quid acciderit
nobis. Hoc est, memoria tene Deus san-
cte, quæ vulnera, quam calamitatem &*

mortiferā plagam inflixerint nobis Ba-
bylonij, qui de nostro interitu, & huius
urbis exitio cogitarūt. Loquitur sub per-
sona totius populi Iudaici, non singula
verba ad singulos referens, sed diuersa ad
diuersos. In summo, simplicissimo, sapiē-
tissimo ac inuariabili Deo nec obliuio
propriè esse potest, nec recordatio. Sed
per similitudinē quandam ei more hu-
mano attribuūtur. Ita Dauid psal. 12. Vs. Psal. 12.
que quo domine obliuisceris me in finē?
Et psal. 43. Quare faciem tuam auertis, Psal. 43.
obliuisceris in opia nostræ, & tribulatio-
nis nostræ. Et Iob cap. 14. Et constituas Iob. 14.
mihi tempus, in quo recorderis mei. Et
Ieremias. 18. Recordare, quod steterim in Iere. 18.
conspectu tuo.

*¶ Intuere et respice opprobrium nostrū. Ni-
mirum oculis tuæ clementiæ. Confert se
ad portū diuinæ misericordiæ, cōstituens
remedium miseriarū suarum in pijs Dei
oculis, quibus ille ad eos respicit, qui ad
ipsum confugiunt in gemitibus, & lamē-
tis, & molestijs versati. Sumitur enim as-
picere hoc loco pro misereri, quē admo-
dum psal. 118. Aspice in me, & miserere Psal. 118.
mei. Et 137. Excelsus dñs, & humilia ref- Psal. 137.
picit, & alta à longè cognoscit. Ac si di-
cat: Humilium miseretur De⁹, superbos
autem conténit. Vel, vt quidam vertunt,
& alta è longinquo frangit. Hoc est, ex
cœlo conterit homines insolētes & arro-
gantes. Vnde auertere faciem illamque
abscondere est iram ostendere: vt psal. 26. Psal. 26.
Ne auertas faciē tuam à me. Et cap. Esaię Esai. 64.
64. Abscondisti faciē tuam à nobis. Videre
autem & intueri est misericordiā osten-
dere, vt Thre. 1. Vide domine, quoniā tri- Thre. 1.
bulor. Et hoc loco: Intuere & respice op-
probriū nostrū. Vnde psal. 78. Facti sumus Psal. 78.
opprobrium vicinis nostris, subsannatio-*

COMMENT. IN LAMENT. I EREM.

& illusio his, qui in circuitu nostro sunt.
¶ Hæreditas nostra versa est ad alienos.
 Hoc est, Iudæa maiorib^o nostris diuinit^o data, deuoluta est modò ad Babylonios hostes nostros, qui eam vastarunt, & nos spoliauerūt. Quos alienos vocauit, statim vocat extraneos. Alieni dicūtur, non solū qui nō sunt ex eodē genere, & eadē natione, sed qui sunt scelerib^o cōtaminati, qui moribus & vita sunt à Dei lege abducti.

- Esa. 25.** In hāc significationē sumūtur ab Esa. 25. de euersione Hierosolymæ ita vaticināte: Posuisti ciuitatē in tumulū, vrbem fortem in ruinā, domum alienorū, vt nō sit ciuitas. Hoc est, tu Deus ex vrbe munita facies domū Babyloniorū, qui & fide & actionibus sunt ab institutis tuis separati. Nam pro alienorū vertū septuaginta interpres ἀσελῶψ, hoc est, impiorū. Possūt hæc Ieremiæ verba de secunda expugnatione intelligi, quando Hierosolyma fuit per Romanos cuersa. De quadixerat dñs **Matt. 23.** Ies^o Iudeis apud Matt. 23. Ecce relinquerunt vobis domus vestra deserta. Hæc est vinea illis quondā locata, quam ob Christi filij Dei mortē amiserūt, quēadmodū **Matt. 21.** ipse apud Matt. 21. prædixerat. Romani enim florentissimam quondā vrbem varijs lamentabilibusq; calamitatibus afflixerunt, illāq; cædibus crudelissimis, & sanguine passim profuso deformauerūt, & templū admirabili religione consecratū flagitijs detestabilibus violarūt. Poteſt hoc intelligi de diuina lege ad gétes trâſlata, quæ fidem receperunt: ex qua Iudæi nihil habent præter occidentē literā. Nos autem qui à gentilitate idolorū quondā cultrice originē ducimus, diuinā legem habemus, ea erudimur, eiq; operam studiūq; nauamus. Est enim diuina lex theſaur^o admirabilis, quo Iudæi sunt spolia-

ti. Illud psal. 18. Iustitiae dñi rectæ: potest psal. 18. etiam verti: Thesauri dñi, seu opes dñi rectæ. Dei enim præcepta & institutiōes diuiniæ sunt, & admirabiles thesauri, quibus animus amplificatur, & diues efficiuntur. Dicuntur aut̄ iustitiae dñi rectæ & iusta, quia à Deo sunt recto iudice, eosque rectos efficiunt, qui eas amplexantur. His opibus carent infelices Iudæi, hac etiā in re infeliores, quia infelicitatē hanc suā haudquaquam intelligunt. Ut qui priuatione sensus oculorū laborant, nulla gemmarū splendorū pulchritudine mouentur: sic obstinati Iudæi animo cęco, tenebrisq; circumfuso splendorem veritatis radios in mentes sapientiū mittentis non vident. Excœcauit enim eos, vt sapiēs ait, **Sapiēs 1.** malitia eorū. Et quemadmodū qui se longè conferūt, si semel arrepto itinere contrario aberrauerint, quò longius processerint, non magis eo tendūt, quo volunt, quām recedunt, atq; fugiūt: sic illi sumpto errore in principio cùm asserūt recte fecisse, cū Christū Iesum ad cedē crudelissimam vocarunt, quò magis ad veritatē existimant accedere, eò diuersius ab illa separantur.

¶ Pupilli facti sumus. Non solū sine patribus in bello occisis, sed Dei consolacione destituti.

¶ Aquam nostram. Tam acerba tyrānide nos opprimunt hostes nostri, vt nec aquā nostram, nec ligna nobis dent, nisi ea pecunia emamus.

¶ Ceruicibus nostris minabamur. Minantur nobis inimici ceruicū percussionē: qualibet occasione periculū nobis capit is ostētant. His verbis imanitatem suā Babylonij declarabāt. Si vis aspicere, qualis sit liquor in vase inclusus, aperis oscieus: ita si do. vis videre, quid sit in hominis animo, audi

Matt.
Luc.

Similitudo.

psal. 8.

Vergilius.

psal. 6.

Ixod.

Deut. 1.
1.Reg.

4.Re.
Ezecl. 1.

^{Sal. 18.} audi illum loqui. Verissimum est seruatoris
^{Matt. 12.} nostri illud: Ex abundatia cordis os loquitur.
^{Luc. 6.} Id Ieremiæ quidam vertendum existimant: Ceruicibus nostris impositum est iugum. Potest verti: Ceruicibus nostris ducebamus. Ut sit sensus: Hostes nostri nos funibus collo ligatis captiuos ducebant: minare enim idem est quod ducere. Et hic est germanus sensus.

¶ *Aegypto dedimus manū et Aſſyrijs.* Hoc est, cùm abiecti essemus in terra prostrati, auxilium postulauimus extendentes manus ad Aegyptios & Aſſyrios, vt ipsi nos suis erigerent, nobisq; opem & præſidiū ferrent. Id est extēdere manū, vt psal. 87.

Extendi ad te manus meas. Ille etiā qui adiuuat, manum dicitur dare. Hinc apud Vergil. Vergilium clamat ad Aeneam Palinur: Da dextram misero, & tecum me tolle per vndas. Id voluit imperator Antoninus in numero quodam significare, in quo est pietas sculpta habes dexteram extensam, & ad adiuuandum porrectam. Et Dauid psal.

^{Pſal. 64.} 64. Deum alloqués: Tenuisti, inquit, manus dexteram meam. Sed quia manus significat seruitutē, vt Exodi. 14. Liberauit dñs in die illa Israelem de manu Aegyp-

tiorū: potest esse sensus: Aegyptijs ac Aſſyrijs promisim⁹ seruitutē ac obediētiā. Cū arca Dei, in qua fuit diuina lex, esset ad Philistæos translata, cecidit idolum Dagon, fueruntq; manus eius cōfractæ: quia futurum erat, vt cùm euāgelica doctrina esset ad gentes propagata, caderet idola, eisq; obediētia frāgeretur. Præterea dare manus idem est quod fœdus sancire, vt

^{4.Re. 10.} cap. 10. lib. 4. Regum: Da mihi manū tuā: ^{Eze. 17.} qui dedit ei manū. Et. 17. Ezechielis: Ecce dedit manū suam. Quare potest esse huius Ieremiæ loci sensus: Fœdus cum illis fecimus, & societatem confluimus.

¶ Patres nostri peccaverūt, & non sunt. Ma-
 tores nostri admiserūt flagitia, & iam ex-
 eesserunt ex vita, nos autē poenas scelerum
 eorum persolūimus. Id evolutum De⁹ cap.
 20. Exodi significare, cùm dixit populo ^{Exo. 20.}
 Israelitico: Ego sum dñs Deus tuus, for-
 tis, zelotes, visitans iniquitatē patrum in
 filios in tertiam & quartam generationē eo-
 rum, qui oderunt me. Id aſſeritur etiā ca-
 pite. 34. Exodi, &c. 32. Ieremiæ. Et. 4. Reg. ^{Exo. 34.}
^{Iere. 32.} 24. Scriptū est, fuisse Hierosolymā euer-
 sam propter peccata Manasse, qui multo
 antea è vita migrauerat. Sed oritur hinc
 quæſtio: nam cap. 14. lib. 4. Regum, & 25. ^{4. Re. 14.}
^{2. Par. 25.} Ezech. 8. scriptum
 legitimus, nec filium dare poenas scelerum
 patris, nec patrem filij. At solues hāc quæ-
 ſtionē, si dixeris, suppliciū dupliciter con-
 siderari, primò sub ratione supplicij pro
 scelere, deinde sub ratione medicinae. Pri-
 mo modo sumptum non infligitur nisi
 peccato, vt æqualitas iustitiae cōpensetur.
 Et ita intelliguntur authoritates afferen-
 tes neminē pro alio mulctari. Supplicium
 autē, vt est medicina, infligitur aliquādo
 innocentibus, vt præferuet à flagitio, &
 virtutē tueatur. Et ita intelliguntur loca
 ostendētia, filios aliquādo pro parentum
 peccatis mulctari. Sed tunc nec in spiri-
 tualibus, nec in æternis, vt diuus ait Au-
 gustinus quæſt. 8. in Iosue, sed in tépora- ^{August.}
 libus & corporalibus puniuntur. Nisi filij
 scelera maiorum imitetur: tunc enim &
 in corpore & in animo castigātur. Id vi-
 dentur innuere Dei verba cap. 20. Exodi ^{Exo. 20.}
 mandata: Visitans iniquitatē patrum in
 filios in tertiam & quartam generationē
 eorum, qui oderunt me. Vbi verba hāc:
 qui oderunt me: intelligūtur de filijs, qui
 maiorum maleficia imitātes Deum odio
 prosequuntur. Qui autē à parētum ma-

COMMENT. IN LAMENT. IEREM.

Ieficijs abhorrent, non debent iuxta Ezechielis sententiā propter illa puniri. Ita hoc

August. Augustinus in tractatione cōtra Donatistas post collationē cap. 7. & in quæstionibus in Deut. quæst. 42. interpretatur.

¶ Serui dominati sunt nostri. Hoc est, serui Babyloniorum. Vel hoc dicit propter Moabitas & Idumeos, qui quondam seruerant Iudeis, & in bello illo fuerunt cum Babylonij cōiuncti. Intolerandū quippe est videre seruum dominatum obtinere, clauūq; reipublicæ tractare. Hinc Salomon

Prouer. 30. Prouerb. 30. Per tria mouetur terra, & quartū, quod non pōt sustinere: per seruum cūm regnauerit. etc. Ac si dicat: Propter tria mala stomachatur homines, & propter quartū se non possunt ab ira téperare. Primū est videre seruum regnantem. Et

Eccle. 10. Ecclesiastis: Est malū, inquit, quod vidi sub sole, quasi per errorē egrediens à facie principis, positū stultū in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum. Vidi seruos in equis, & principes ambulantes super terram quasi seruos.

¶ In manibus nostris afferebamus panē nostrum à facie gladij in deserto. Id est, cū periculo vitæ nostræ fugientes è ciuitate per solitudinē à facie gladij Babyloniorū asportabamus escas ad comedendū. Cū enim se in fugā conferrēt portates vietū, seipso periculis obijciebant. Vel in animalibus nostris, hoc est, iumentis nostris. Sumitur anima pro iumento & quacūq;

Vitodū bestia, vt Iacob^o Vitodurēsis in libro troensi.

porū ac schematū ait. In hanc significatiōnē accipitur Genes. 1. Producat terra animam viuentē, hoc est, pecora & iumenta, & cætera animalia rationis expertia.

Villavi. Ita Laurētius Villavcentius in phrasibus interpretatur: & multo ante illū codem **Basilīus** modo locū illū explanavit magnus Basilius

lius in opificio sex dierum, ac Iunilius, & Iunilus Seuerianus in Genesim. Ita etiā intelligi pōt Genesis illud cap. 12. Tu h̄tque Abram ham vniuersam substatiā, quam possederant, & animas, quas fecerant in Haran. ¶ Pellis nostra exusta est. Hoc est igne calamitatē cōbusta, & instar cibani nigore affecta, & fame dissicata. Ita Iob. 9. Pel· Iob. 9. li meæ consumptis carnibus adhæsit os meum.

¶ Mulieres in Sion humiliauerūt. Nimirū Babylonij eas obsecōna voluptate violātes. Id prædixerat Deus Iudeis, si eius legē violaret, cap. 28. Deuteronomij: V xōrem accipias, & alius dormiet cum ea. Et paulo pōst: Filij tui, & filiæ tuæ tradentur alteri populo videntibus oculis tuis.

¶ Principes manu suspensi sunt. Sensus est: Qui generis nobilitate præstabat, & principatum obtinebant, fuerunt manu hostium patibulis affixi, & strangulati. Babylonij enim illi nec magnatibus parcebant, nec senes venerabantur.

¶ Adolescentibus impudicè abusi sunt: et pueri in ligno corruerunt. Senes defecerūt de portis, iuuenes de choro psalentium. Defecit gaudū cordis nostri: versus est in lugē chorus noster. Cecidit corona capitis nostri: vñ nobis quia peccauimus. Propterea mæstum factum est in dolore cor nostrū, ideo cōtenebrati sunt oculi nostri. Propter montē Sion quia dispergit, vñples ambulauerūt in eo. Tu autē domine in eternū permanebis: solū tuum in generationē et generationē. Quare in perpetuum obliuisceris nostri derelinquēs nos in lōgitudine dierum? Conuerte nos domine ad te, et conuertemur: innoua dies nostros, sicut à principio. Sed proijciens repulisti nos: iratus es contra nos vehementer.

¶ Adolescentibus impudicè abusi sunt. Loquitur de peccato turpisimo cōtra natu-

ram.

Exod.
Ezai.

Deut.
Amo.

Amos.

Iob. 3.

D

1. Reg.

ram. Potest tñ verti hæc oratio: Adolescentibus ad molas vñi sunt: vt eas scilicet agitarent. Sensus est: Hostes nostri Babylonij adolescentes Hierosolymæ detrucebant ad pistrinum, vbi frumentū mola Exod.ii. trusatili tundebatur. Erat quippe illud infimum officium: iuxta illud Exodi.ii. A primogenito Pharaonis, qui sedet in solio eius, vñq; ad primogenitū ancillæ, quæ est ad molam. Vnde Esaias ad ignominiam & vile munus explicandū: Tolle, inquit, molam, & mole farinam.

¶ Et pueri in ligno corruerūt. Id est, & pueros vsque adeo onerarunt lignis, vt deficientibus viribus subillis corruerent. Sed quia locutus fuerat de mola, fortasse per lignum intelligit manubrium ligneum, quo voluitur pistrini mola. Vel ita: pueri in cunis ligneis occidebantur.

¶ Senes defecerunt de portis. Id est, nō ferebant sententiā: publica non exercebat iudicia, quæ in portis vrbis fieri solebant: vt Deut.17. Et iudiciū in traportas tuas vide Deut.22. Ad seniores vrbis, qui in porta Amos.5. sunt. Et Amos.5. Constituite in porta iudicium.

¶ Defecit gaudium cordis nostri. Iuxta id quod dixit De^s per diuinū Amos.8. Conuertam festivitates vestras in luctū, & omnia cantica vestra in planctū. Et Job ait capite trigesimo. Versa est in luctum cithara mea: & organum meum in vocem flentum.

¶ Cecidit corona capit is nostri. Hoc est, ruit regnum nostrum: & fuit ablatum à capite nostro, hoc est, à rege Sedechia: tritum est enim per caput regē significari. Sumitur corona pro regno, quod sit regum gestamen, dicta, vt nōnulli aiūt, à cornu, quod pro regno in literis diuinis inuenitur: vt 1.Reg.2. 1.Reg.2. Sublimabit cornu Christi sui. Et

Luc. i. Erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui. Vel accipitur corona pro honore, vt capite decimo nono Iob: Spoliauit me gloria mea, abstulit coronam de capite meo. Et Ieremias tertio decimo: Descendet de capite vestro corona gloriæ. Vel sumitur pro filijs, iuxta illud Proverb.17. Corona senum sunt filij filiorū. Vel accipitur hīc corona pro diuinitarū abundātia, vt Proverb.14. Corona sapientum diuinitatē eorum. Hæ autē amittuntur, & facilē evanescunt. Ut aqua manibus hausta quanto magis premitur, tanto citius elabitur: sic mūdidiuinitatē quanto tenacius restringuntur, tanto proclivius labantur. Sed quia Ieremias ait: Cecidit corona, existimo esse hoc de templo Hierosolymæ intelligendum, quod fuit cœsum in expugnatione Hierosolymæ per Babylonios.

¶ Propterea maestum factum est in dolore cor nostrū. Iusti & impij corda habebant mōrere cōfecta: sed hoc erat inter eos discrimen & interiectum interuallū: quod qui erant nefarijs sceleribus polluti, turbulētis perturbationibus concitabantur: viri autem iustitia ac pietate cæterisque virtutibus tanquam mōenibus septi, in medijs æruminis quiete, animique securitate gaudebant. Id sentiens David in calamitatibus versatus: Super aquam, inquit, reflectionis educauit me, animam meā cōuertit. Quod potest ex Hebræo ita trāferri: Adaquas trāquillitatis adduxit me: animum meum sedatum reddidit. Non ait: Adaquas torréris, quæ raptim ac turbulenter fluunt, sed adaquas lenes & trāquillas quietē defluētes. Qui legem Dei violant, sunt perturbati: qui verò illam seruant, quieti. Illud psalmi.18. Lex domini immaculata conuertens animas:

COMMENT. IN LAMENT. IEREM.

poteſt ex Hebræo verti: Lex dominus perfecta tranquillas reddit animas. Vel ita: Philosophia diuina omnibus numeris absoluta animos quietos efficit.

¶ Contenebrati sunt oculi nostri. Hoc est, fuerunt ob nimias vigilias & calamitates & lachrymarum multitudinem tenebris circumfusi.

¶ Vulpes ambulauerunt in eo. Tanquam in Mich. 3 solitudine. Vnde Michæas tertio: Sion quasi ager arbitur, & Ierusalem quasi aceruuſ lapidum erit. Poteris per vulpes homines intelligere versutos & malitiosos. In hanc significationem aiunt

Luc. 9. sumi Lucæ nono: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet. **Cyrill. net.** Cyrilus vulpes loco illo & volucres vocat malitiosas & astutas dæmonum potestates. Quasi Christus dicat: Cum vulpes & volatilia in te habitent, quo modo ego in te requiescam? Nulla est enim inter lucem & tenebras societas.

¶ Tu autem domine in æternum permanebis. Sensus est: Periit ac euersa est Hierosolyma, quia mutabilis erat, & corruptioni subiecta: tu autem domine nunquam peribis: quin potius idem in omni æternitate permanebis. Idem cecinit diuinus atque regius vates psalmo,

Pſal. 101. Tu autem domine in æternum permanes, & memoriale tuum in generatione & generationem. Et iterum: Ipsi peribunt, tu autem permanes. Et paulò post: Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Docet hic locus omnia esse mutabilia præter Deum: qui **Exod. 3.** Exodi capite tertio: Ego, inquit, sum, **Malac. 3.** qui sum. Et apud Malachiam tertio: Ego dominus, & non mutor. Quare

cum sumus amore summo amplexurū, qui nunquam mutatur: non mundi ludibria, non terræ opes & vanitates, non seculi gloriam vanam & in casu sitam, non ea denique, ad quæ impij auditate nefaria aspirant, quæ mutantur, & consumuntur. Ad id nos excitat diuus Ioannes, cum ait capite secundo epistole suæ primæ: Nolite diligere mundum, nec ea, quæ in mundo sunt. Et reddens paulò post huius rei rationem: Mundus, inquit, transit, & concupiscentia eius. Præterit mundus, prætereunt regna eius: Dei verò regnum sempiternum est. Id voluit hic Ieremias significare, cum dixit: Solium tuum in generatione & generationem. Solium enim Dei thronus eius est, & sedes diuini numinis regia, quæ vigebit memoria omnium seculorum, quam ipsa æternitas semper intuebitur. Id animo percipiens David psalmo quadragesimo quarto. Sedes tua **Pſal. 44.** Deus, inquit, in seculum seculi. Quibus verbis pronuntiat regnum Christi sempiternum fore. Id quod postea dixit angelus: Et regni eius non erit finis. **Luc. 1.** Intelligi autem versum illum psallographi de Christo, indicat diuus Paulus capite primo epistolæ ad Hebræos. Vbi **Hebr. 1.** aspicis Christi diuinitatem, cum enim David apertè Deum vocat, cum ait: Sedes tua ô Deus in seculum seculi.

¶ Quare in perpetuum obliuisceris nostri? Ex his verbis constare videtur, non solum ad præsentem illam vastitatem per Babylonios quæ finem habuit, respexisse Ieremiam, sed ad futuram etiam per Romanos nullum finem habituram.

¶ Conuerte nos domine ad te. Numirum gratia præueniente, & diuina inspiracione, & medijs, quibus ad te homines trahis,

trahis, & ad gratiam gratum facientem perducis. Sequitur: Et cōuertemur. Non enim poterimus ad ipsum conuerti, nisi ipse nos conuerterit. Qui est mortiferis labibus pollutus, auersus à Deo est: ad quem sine diuino auxilio conuerti nequaquam potest. Est enim perspicuum, neminem posse de cōdigno mereri gratiam, & à peccato mortifero ad illam resurgere, nisi per Deum. Id vult hoc loco Ieremias significare. Et capite trigesimo primo, ubi ait: Conuerte me domine, & conuertar, quia tu dominus Deus meus. Et David psalmo septuagesimo septimo. Spiritus vadens, & non rediens. Hoc est, gratia per flagitium mortiferum amittitur, sed humanis vi-ribus non reuertitur. Ut qui culpa sua in profundum ac irremeabilem lacum ruit, non potest per se ascendere, & extrahī, sed opus est alicuius auxilio: sic qui se in pestilens præcipitat scelus, nequit inde nisi diuina ope adiutus ad Dei gratiam reuocari. Ideo David psalmo 84. Conuerte nos, inquit, Deus salutaris noster, & auerte iram tuam à nobis. Et psalmo septuagesimo. Deus conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus. Et ipse Deus apud Oseam tertiodecimo: Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum. Unde sponsa Canticorum primo: Trahe, inquit, me post te, curremus in odomini vnguentorum tuorum. Et apostolus capite quintodecimo prioris ad Corinthios: Gratia Dei sum id, quod sum. Et Christus seruator noster apud Ioan-

Ioan. 6. nem sexto: Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum.

Et. 15. Sine me nihil potestis facere. Id inuebat Salomon, qui capite Proverb. 2.

loquens de via iniquitatis ait: Omnes qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur. Quod intelligitur, nisi per Dei gratiam conuertantur. Ob eam causam ouis quæ errauerat, ut Christus ait apud Lucam ^{Luc. 19.} quintodecimo, fuit ad gregem humeris pij cœlestisque pastoris reducta. Ipse est lux mundi, sine cuius lumine non ^{Ioan. 3.} possimus gratiam gratum facientem adipisci. Ut sol quod in se est, lunam ^{Similitudo.} splendore suo illustrat, nisi ipsa se in umbram terræ immiserit, propter terræ interpositionem inter seipsum & solem: sic Christus dominus nos illuminat gratia sua: si autem nos non illuminamur, non est eius culpe attribuendū, qui lux est & sol iustitiae, sed nobis, qui umbram querimus, & eo contemptu rerum terrenarum amore flagramus. Et quia ad impij iustificationem exigitur liberum arbitriū ait Deus apud Zachariam primo: Con- ^{Zach. 1.} uertimini ad me, & ego cōuertar ad vos. Disponimur enim ad gratiam eidem libere assentiendo, & cooperando, & inspirationem Dei recipiendo, quippe qui illum possumus abijcere. Itaque cum dicitur in sacris literis: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos: libertatis nostre admonemur. Cum autem dicitur: Conuerte nos domine ad te, & conuertemur: Dei nos gratia præueniri confitemur. Si autem in gratia & virtutibus perseveramus, decimum numerum quo significatur perfectio, adipiscimur. Numerus enim ab unitate incipit, & in decimo absolutur. Id videtur diuina scriptura innuere, ^{Exod. 22.} cum ait, & primitias & decimas Dei esse: ab ipso enim est, cum ad bonum primū ^{Nuim. 5.} surgimus, & cum usque ad finem perseueramus. Tu autem aduerte: Non ait Ieremias: Conuerte me solū ad te: sed con-

COMMENT. IN LAMENT. I EREM.

- Gene. 4.** uerte nos dñe ad te. Cain dicebat Gene. 4. Nunquid custos fratri mei ego sum? At diuin' nost raves omnium salutē cupiebat. Qui aliorum bonum contemnit, non solum est similis Caino, sed hac in re diuite in inferis sepulto pestilentior.
- Lue. 16.** Ille enim dixit Abrahē: Rogote, ut mittas Lazarum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, ut testetur illis. etcæt. Andreas non contentus pro-
- Ioan. 1.** pria salute duxit Petrum ad Iesum, & Philippus Nathaniēlem. Ut sic cortina
- Apoc. 12.** trahat cortinam: &, ut Ioannes ait Apocalypsis vigesimo secundo: qui audiit: Dicat: Veni. Unde discipuli bini mit-
- Luc. 10.** tuntur apud Lucam decimo: Et in le-
- Leui. 12.** ge pro primogenito par tur turum offe-rebant, aut duos pullos columbarum.
- Luc. 2.** Vbi numero pari charitas designatur. Ea prædictus Ieremias dicebat: Couerte nos domine ad te, & conuertemur. Ad cum debemus conuerti, & confugere, in quo est salus nostra constituta, qui nos in vulnus lateris sui intromittet, qui in cala-
- Gene. 6.** mitatum cluione est arca Noe, in cuius latere deorsum fuit ostium. Ac non sine mysterio ait fuisse deorsum, quia cùm in Christo sint duæ naturæ, diuina & humana, in humana vulneratus est.
- Apoc. 4.** De hoc ostio ait capite quarto Apocalypsis diuus Ioannes: Ecce ostium aper-tum in cœlo.
- Canticum.** Innova dies nostros sicut à principio. Id est, instaura dies nostros, & da nobis tem-pora prospera & felicia, ut olim. Prose-quere nos fauore tuo, quemadmodum faciebas, cùm maiores nostros quondam li-
- Exod. 14.** berasti àdura Ægyptiorum seruitute té-pore Mosis, & in terra promissa colloca-sti tempore Iosue. Desiderabat Ieremias antiquorum temporum prosperitatem,

quemadmodum Job, cùm dicebat ca-^{1cb. 9} pite vigesimo nono: Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos, secun-dum dies quibus Deus custodiebat me: quando splendebat lucerna eius super ca-put meum. Hoc est, quando me fauore suo prosequebatur.

¶ Sed projiciens repulisti nos. Id est, iuste nos relinquens, in exilium & Babyloni-cam seruitutem eiecessi: quia te flagitijs nostris ad iram & supplicium mirum in modum prouocauimus. Perpende. Non ait: Repulisti me: sed repulisti nos. Non propriam tantum, sed communem de-plorat calamitatem: proximos enim si-cum seipsum ordinato amore diligebat, iuxta illud Canticorum secundo. Ordi-nauit in me charitatem. Quod etiam potest verti: Vexillauit, ut ita dicam, me charitate. Acs̄ dicat: Charitate sua me Deus ad se traxit tanquam vexillo, quo in bello milites ad Ducem du-cuntur.

Observationes ex He-bræo in caput quin-tum.



Quam nostram pecunia bibim⁹.

Qui-dá ver-tunt: Aquas nostras. Sed pa-rum refert, idem enim manet sensus: & vtraque translatio vera est. In Hebraico enim est אַבָּא, quod nomen semper in plura-

Gene
R.Io.
Num.
Hiero

Psal

Onch

Cant.

plurali reperitur: sed aliquando in singuli-
lari vertitur, aliquando in plurali. Lingua
autem Hebrei ⁹ nunquam eo vtitur, nisi in
plurali ob duplicē aquam, superiorē scili-
cet & inferiorem, quas diuidit firmamē-
Genes. 1. tum, ut primo Genesis capite saera scrip-
tura cōmemorat. Vnde cōclum dicitur
מְעָמֵד xamaijm, quod ibi aquæ sint, iux-
R. Iosi. ta Rabbi Iosi sententiā, quam multi alij
Num. 24 sequuntur. Capite Numer. 24. vbi biseo-
dē versu est hoc nomen, priore loco ver-
Hieron. tit Hieronymus aquā, posteriore aquas.
Ita enim ait Balaam: Fluet aqua de situla
eius, & semen illius in aquas multas. Hoc
est, erit populus Israelicus fœcundus, &
semen eius magnum accipiet incremē-
tum, instar arborum iuxta ductus aqua-
rum & fluminum deriuatiōes. Erit felix,
rebusq; omnib; ad vitā necessarijs abun-
dabit. Situla est instrumētum hauriendi
aquam ex puteo, eāq; effundēdi. At sep-
tuaginta interpretes totam hāc orationē
ad Christum referunt: ita enim habent:
εξελευσται αὐτοὶ εἰς τὸν πατέρα μας καὶ αὐτοῦ,
καὶ κωρεύσει ἐνών τολλῶν. Hoc est, exhibet
homo ex semine ei⁹, & dominabitur gé-
tibus multis. Acsidicat: Christus secundū
carnē genus suum ducet ex Israele, eritq;
Psal. 2. gentium dñs. Vnde ei dicit psal. 2. cōle-
stis pater: Pete à me, & dabo tibi gentes
in hæreditatē tuam, & possessionē tuam
Onchel. terminos terræ. Onchelus etiā Chaldaic-
cus paraphrastes hoc de Christo his ver-
bis interpretatur. Crescit rex, qui vnge-
tur de filijs suis, & dominabitur populo-
rum multorum. Vbi priore loco nominē
aquæ significatur Christ⁹, posteriore au-
tem nomine aquarum gentium multi-
tudo. Eodem vocabulo vtitur Salomon
Cant. 8. Canticorum. 8. Aquæ multæ non pote-
runt extinguere charitatem. Idest, inge-

tes calamitates non valebunt vim diuini
amoris restinguere & delere. Et Amos. 9. Amos. 9.
Qui vocat aquas maris, & effundit eas
super faciem terræ. Acsidicat: Deus vo-
cat sursum ad aërem aquas maris versas
in vapores, solis calore, qui in eam aëris
regionem ascendunt, vbi concrescunt in
nubes, quæ in imbræ mutatæ super ter-
ram effunduntur. Et Esai. 48. Et de aquis Esai. 48.
Iuda existis. Hoc est, vos ô Iudæi, qui ex
Iuda tanquam ex fonte dimanastis. De
varijs aquæ significationibus vide Arno-
bium in psal. 21. & 32. & 73. Cyrillum de
incarnatione vnigeniti. 26. Cyprianum Cypria.
epistola. 13. Gregorium Nyssenum de vi-
ta Mosis. Nyssen⁹

¶ Ceruicibus nostris minabamur. Pro mina-
bamur est in Hebreo verbū מִנְחָה radhaph,
pro quo capite. 3. Threnorum Hierony-
mus vertit percutere: Operuisti in furo-
re, & percussisti nos. Quare poterat verti
locus hic: Ceruicibus nostris percutieba-
mur. Vel, ceruicibus nostris passi sumus
persecutionem. Significat enim verbū
hoc persequi, ut psalmo. 142. Quia per. Psal. 142
secutus est inimicus animam meam. Et
capite Ezech. 35. vbi Deus ait Idumæo-
rum populo: Sanguini tradam te, & san-
guiste persequetur. Hoc est, tradam te
occisori, qui te persequatur. Vel tradam
te populo Israelicō, qui te affligat. Erat
enim Idumæi & Hebrai ex eodem san-
guine, quoniam genus ducebāt ab Isaac,
Idumæi per Esau, Hebrai per Iacob.
Hac ratione ductus Pagninus in The- Pagnin.
sauro vertit hunc locum: Super ceruices
nostras persecutionem passi sumus. Et
eodē modo Septuaginta: Super collum
nostrum persecutionem tolerauimus.

¶ Adolescentibus impudicè abusi sunt. Pro
adolescentibus est in Hebraico: בְּתַרְבִּים,
quo d

COMMENT. IN LAMENT. IEREM.

quod nomen & adolescētes significat, & electos. Priorem significationē secutus est Latinus noster interpres, alteram Septuaginta, qui habēt: Electi fletum assūpserūt. Hoc est viri nobiles & magnates vim la-

Pagnin. chrymarū profuderunt. Pagninus habet:

Brixia. Iuuenes ad molendū tulerunt. Brixianus:

Adolescētes ad molendū rapuerunt. Sed quia interpres noster per molere & contūdere actū obscenū intellexit, posuit:

Adolescētibus abusi sunt. Nam capite. 31.

Iob, vbi no shabemus: Scortum alterius sit vxor mea: est in Hebræo: Molat alte-
ri vxor mea.

¶ Propterea mœstum factū est in dolore cor nostrū. Particula, in dolore, nec est in Hebraico, neq; in Græco: sed est in vulgata nostra editione ad maiore literæ explicationem. Pro corde est in Hebræo בַּל, quę vox & cor significat & mediū, quòd cor

Ion. 2. sit in medio corporis situm : vt Ionæ. 2.

Proiecisti me in profundū in corde ma-

Cant. 4. ris. Accipitur pro voluntate, vt Cant. 4.

Vulnerasti cor meum soror mea sponsa.

Quod pót etiā verti: Rapuisti cor meū : siue abstulisti, siue, vt alij transferūt: Trāfixisti cor meum. Alloquitur Deus more humano animā sibi deuotam, quam ad-

Cant. 8. mirabili amore prosequitur. Et Cant. 8.

Pone me vt signaculum super cor tuum.

Vbi pro signaculo est in Hebræo חותם chotam, quod nomen significat sigillū & annulum: solebat enim veteres in an-

nuli géma sigillum ferre: & quoniā an-

nulo sigillū imprimebant, idē vocabulū

vtrūque significat. Eo titutur Ieremias ca-

pite. 22. cùm ait: Si fuerit Iechonias filius

Ioacim annulus in manu dextera mea.

Et Salomon hoc loco, vbi pro signaculo

poteris recte vertere sigillum, aut annu-

lum sigilli. Est enim sensus: Quéadmo-

dum in digito est annulus, ita sim ego in corde tuo. Ut digitus sigillum imprimit annulo, ita cor tuū tecum: nihil animo cogites, quod non sit sigillo diuini cōfiliū sigillatū. Nec solū in me debes in corde, hoc est in cogitationibus portare, sed etiā in brachio, hoc est in operibus: nomine enim cordis cogitationes sensusq; recōditi, nomine verò brachij opera & acta significatur. Eam ob causam vbi dixit: Pone me vt signaculum super cor tuum: adiecit: vt signaculum super brachiū tuum. Ac si dicat Christus: Da operam, vt me ponas ante oculos tuos, meque semper in meditationibus & actionibus respicias. Aspicis cor sumi pro cogitatione. Sumitur etiam pro intelligentia, vt cap. 1. ad Rom. Romanos: Obscuratum est insipiens cor eorum. Quod cap. 4. ad Ephesios dixit: Ephes. 4 Tenebris obscuratum habentes intelle-ctum. Furari cor alicuius est eo inscio ali- quid agere, vt Genesis. 31. Furatus est Ia- cob cor Laban Aramæi, eo quòd non in-dicauit ei, quòd fugeret. Pro quo vulgata editio habet. Noluit Jacob confiteri soce-ro suo, quòd fugeret. Et paraphrasis Chal daica: Celauit Jacob à Laban Syro, & nō indicauit ei, quòd ipse proficeretur. Præterea sumitur cor pro anima, vt capite Ieremiæ. 4. Laua à malitia cor tuū Ie-rusalem, vt salua fias. Ac eodē modo su-mitur hoc Ieremiæ loco: Propterea mœ-stum factum est in dolore cor nostrum.

¶ Conuerte nos domine ad te, ^{ft}) cōuertemur. Cùm ad Deū conuertimur, ipse nos con-uertit: bona enim quæ agimus, munera sunt, quę Deus nobis impertit. Id videtur significare diuī Paul⁹ cap. 4. epist. ad Ephe. 4. vbi citans versum illū psal. 67. Ascendi in altum, cepisti captiuitatē, accepisti do-na in hominibus: ait: Ascendēs Christus

in

Iere. 22.

Iac.

Zach.

Psal.

Cant.

Gene.

Eug.

Pag.

in altum, captiuā duxit captiuitatē, dedit dona hominibus. David ait Christū accepisse dona ab hominibus, Paulus verò ea illis dedisse: & vtrunque verum est: nam dona quæ Deo offerimus, ipsius Deido-
Iac. 1. na sunt, iuxta illud Iacobi apostoli: Omne datum optimū, & omne donū perfe-
 tum defursum est descendēs à patre lu-
 minū. Et ita nulla est inter psalmographū
Zach. 1. & apostolū discrepātia. Nec inter Ieremiā
 hoc loco, & Zach. 1. vt in explanatione o-
 stēdimus. In quibus duobus locis pro cō-
 uertere est in Hebræo verbū בָּשָׁר, quod
Psal. 22. cōuertere significat, vt psal. 22. Animam
 meā conuertit. Significat etiā reuertere,
Cant. 6. vt Cant. 6. Reuertere reuertere Sunami-
 tis. Pro quo codices emēdati habēt Sul-
 mithis: quæ vox pacificā significat, tran-
Gene. 8. quillā & perfectā. Et Gene. 8. Dimisit cor-
 uī, qui egrediebatur, & nō reuertebatur.
 Vbi pro reuertebatur est hoc idem verbū.
 Sed quia in hūc incidimus locum, operē-
 pretiū duximus, discrimē repugnantiāq;
 loci huius inter vulgatā editionem, & li-
 teram Hebræā, quæ modò extat, aperire.
 Iuxta cōmuniis editionis veritatē coruus
 missus ex arca à Noe egressus fuit, sed nō
 reuersus: at exēplaria Hebræa quæ modò
 apparent, sensum contrariū produnt. Ita
 enim habent: בָּשָׁר אֲזַבְּנָה אֶלְעָזָר: Id est &
 egressus ibat, & reuertebatur. Disparata
 sūt: reuertebatur: & nō reuertebatur. Au-
Eugubi. gustinus Eugubinus episcopus Chisamé-
 sis in annotationibus suis ait deprauatam
 esse hoc loco editionē vulgatā, delendāq;
 esse ex illa particulam, non, codices verò
 Hebræos veritatē continere. Idē quoque
Pag nin ait Xantes Pagninus in epistola suæ nouę
 emissioni prælata. Non possum negare,
 ægrè me tulisse, tam catholicos & erudi-
 tos viros fuissē hoc loco in vulgatā editio-

nem vetustate veritate & magnificentia
 præstantē tam asperè & īmeritō inuectos.
 Nam septuagīta interpretes natione He-
 bræi, linguae Græcæ periti cum negatiōe
 legerunt. Ita enim habēt: καὶ εὐελθὼν σὺν
 αἰρεσίᾳ. Hoc est, & exiēs non est reuer-
 sus. Eodē modo Flavius Iosephus Iudeus Ioseph,
 cap. 5. lib. 1. antiquitatū, cuius ad literā hēc
 sunt verba: Post paucos dies aqua amplius
 recedente misit coruū, volēs cognoscere,
 si quid etiam terræ fuisset relictū ab aqua,
 & ad egrediendum iam tutū esse videre-
 tur: qui cuncta reperiens inundatiā nō re-
 uersus est ad Noe. Hactenus ille. Illud ve-
 lim existimes, tempore diui Hieronymi
 codices Hebræos hoc loco negationē
 habuissē: imò tēpore septuaginta inter-
 pretū: & ita Mosem scripsisse. Sed postea
 Hebræi aut negligētia, aut malitia, vt
 versionē nostram calumniarētur, nega-
 tionē ex contextu abstulerunt. Hierony-
 mus enim ex Hebrēo vertit: Dimisit co-
 rūm, qui egrediebatur, & nō reuerteba-
 tur. Et aduersus Luciferianos: Emittitur,
 inquit, coruus de arca, & non redijt: &
 postea pacē terræ columba nuntiat. Et in
 epistola ad Oceanum: Statimq; colum-
 ba spiritus sancti expulso tētrimo alite
 deuolat ad eum. Vbi per tētrimum ali-
 tem coruum significauit. Nonne vides
 Hieronymum locū hunc legissē & ver-
 tisse cum negationē? Augustinus simili-
 ter tom. 6. lib. 12. cōtra Faustū Manicheū
 cap. 20. cum negatione legit: ita enim ait:
 Quod post dies quadraginta emissus co-
 ruus nō est reuersus, aut aquis utiq; inter-
 ceptus, aut aliquo super natante cadauere
 illectus, significat homines in īmunditia
 cupiditatis tētrimos, & ob hoc ad ea
 quæ foris sunt, in hoc mundo nimis intē-
 tos. Et tom. 9. in tractatu. 6. expositionis
AUGUSTINUS
in

COMMENT. IN LAMENT. IEREM.

in Ioannem ita ait: Meritò de arca missus est coruus, & nō est reuersus, missa est columba, & reuersa est. Vbi quid his duabus auibus significetur, mirabiliter explanat.

Ambro. Eodem modo legit Ambrosius libro de Noe & arca capite. 17. vbi causam reddit, cur coruus emissus non redierit. Præterea

Chrys. Chrysostomus homilia. 26. in caput Genesis. 8. apertè cum negatione legit, & interpretatur, asseueranter affirmans nunquam coruū reuersum fuisse. Demū idē asserit glossa Græca per coruum populū intelligens Iudaicū, qui extra arcā, hoc est, extra ecclesiā mansit, per columbam verò populum gentilē, qui ad ecclesiā cōfugit. Cùm igitur tot patres tāta vetusta te, sanctitate, & sapiētia prædicti ita legerint, & explanauerit, vt nostra habet vulgata editio, credendū est, eam esse verissimam, Hebræam verò hoc loco deprauata.

Elias. tā. Nec mirum, cùm videamus, vt Elias etiam fatetur doctus inter Iudæos, Hebræos codices huius téporis longè à priscis illis veteris synagogæ variari. Id quod

Bruno. perspicuè cōfitetur Bruno Amerbachius trium linguarum eruditione celebris, in præfatione in psalterium diui Hieronymi, vbi asseuerat vetera psalterij exéplaria Hebræa manu scripta à psalterio Venetijs impresso multis in locis discrepare. Sed quid citò recētores scriptores, cùm

Iustinus antiquus Iustinus martyr in libro quem edidit aduersus Iudæos, qui inscribitur Colloquiū cum Triphone Iudæo, aper- tè ostēdat iam tunc Iudæos aliquibus in


locis diuinam scripturā deprauasse: quē- admodum versum illū psal. 95. Dicite in ^{Psal. 95.} gentibus, quia domin⁹ regnauit à ligno, vbi voces illas, à ligno, deleuerūt. Et postea, vt Lindanus Dordracenus in libris de ^{Lindan.} optimo scripturas interpretandi genere ostendit, multa cōmutarunt. Quare iam nunc solida ac pura scripturarum veritas potius est à vulgata editione, quām à codicibus Hebraicis petenda. Est enim cō munis hęc nostra editio ab ecclesia catholica meritò approbata, quoniā est vetustissima, verissima, grauissima, & integerri- ma: de cuius laudibus nulla vñquam posteritas conticescet, quam ipsa perpetua- tas semper intuebitur. Hęc est diuina ac vera scriptura, quæ vt Salomon ait capi- te Prover. 6. lucerna est, lux, vitæ via, cor- ^{Prover. 6.} rectio & castigatio. De qua ait apostolus cap. 3. posterioris ad Timotheū: Omnis ^{2. Tim.} scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendū, & arguendum. Quare meritò Christus Deus noster apud Ioan. 5. Scru- ^{Ioan. 5.} tamini, inquit, scripturas. Nos has Iere- miæ lamētationes scrutati sumus, & sim- pliciter pro ingenij tenuitate explanauimus, earū abstrusas sententias & profun- da mysteria illis relinquentes, qui mentē à sensibus abducentes, & cogitationem à rebus visibilibus separantes sapientiā am- plexantur, & ad diuinarum rerum conté- plationem rapiuntur. Illi se totos ad diui- nas literas explanandas conferant prop- ter Deum, cui sit gloria & honor in secu- la seculorum, amen.

*Terminantur Jeremiæ lamentationes per Doctorem
Hectorum Pintum illustratæ.*

★ L A V S D E O. ★

A M E N.





PINT. IN
HIERONYM.

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17

17